




Gryphe
1538









Le Traité *de Sanitate tuendâ* qu'on lit Pag. 107–187 de ce Volume, est celui qui a été traduit en françois par *Jean Goevrot* sous ce titre : *Traité de l'entretenement de Santé*. Paris, franc. Girault, 1550, in 16, Edition qui est chez M. Baron. mais M. De Villiers en a une édition de 1541. Lyon, huguetan.

Prosper Calano de Sarzano, professeur à Rome et à Bologne en 1522.


PROSPERI CALANII SARZINENSIS MEDICI EXCELLENTISSIMI

PARAPHRASIS

in librum Galeni De inæquali intemperie.



Huic alia quædam, eodem autore, Medicinæ candidatis haud uulgariter profutura, subiecimus: quæ pagella proximè sequens declarabit.



Apud Seb. Gryphium Lugduni, 1538.

INSVNT PRAETEREA HVIC LIBRO EIVSDEM PROSPERI COMMENTARII.

De tuenda ualetudine, ad Herculem Gonzagam, Cardinalem Mantuanum.

De atra bile, ad Cardinalem Cæsium.

De sanguinis mißione in pleuritide morbo.

De sapore austero, acri, & acido: quinam sint apud Corn. Celsum hi sapores, quibusúe noībus apud nostros nominentur.

De cordis tremore.

De melancholia flatuosa, quā Mirachialem uocant, cum pluribus symptomatibus complicatis.

IO. BAPTISTA GYRALDVS medicus Ferrariensis ad libellum Prosperi Calanij.

Rectam Asclepiadum uiam secute,
Quam Cous senior prius poliuit,
Et mox excoluit magis Galenus,
I felix liber, i uirum per ora
Doctorum intrepidus, nihil pauesce:
Nil tantis ducibus tibi timendum.
Ipso nomine uel beatus ibis.

SEBASTIANVS GRYPHIVS
Medicinæ incorruptæ, & priscæ studiosis S. P. D.

INTER maximas curas, quas mei loci, atq; ordinis hominibus uel fortuna, uel uitæ ratio affert, ea mihi fuit antiquißima, ut quàm optimos, ac lectißimos libros uel à priscis, uel à recentioribus autoribus scriptos, undecunque elicerem: neq; aut studio, aut labori, aut impensæ ulli parcerem, dum haberent optimarum artium, ac disciplinarum studiosißimi quiq;, mea opera, atq; industria, paratam sibi luculentam bonorum librorum copiam, per quam & ipsi doctiores, & meliores redderentur: & aliorum studijs, & commodis quàm rectißime consulerent. Huius me sedulitatis meæ, neque antè unquam pœnituit: & proximis superioribus mensibus egregiam mihi de uobis bene merendi facultatem oblatam, sum non mediocriter lætatus. Nam cum amici aliquot mei, quibus hoc in literaria republica iuuanda studium, ac uerius ardor animi mei notus erat, me submonuissent, Prosperum Calanium, è Sarzana Hetruriæ urbe, uirum omni eruditionis genere præstantißimum, qui Romæ annos multos optima, & exquisitißima medendi ratione uiguit, & in præsentia Bononiæ, in illa clarißima hominum luce efflorescit, multa elucubrasse, per quæ medicinæ studium iuuari, & ornari posset, sedulò operam dedi, per internuntios, nostrum utriusq; amicißimos, & cupidißimos uiros, ut uigiliarum mihi suarum, quas ego, ad literatorum utilitatem, formulis expressas ederem, copiam facerent. Quod cùm ab eo, ut est homo in suis probandis nimis modestus, in edendis lentus, ac fastidiosus cunctator, impetrari non posset, extorserunt tandem partem eam, quam doctißimorum hominum iudicio magnopere com=

probatam, in uestro candidißimi lectoris nomine uolui apparere: eam uos obsecro, æquis, ac benignis animis cognoscite, spero, cùm eius hominis literaturam, & doctrinæ genus, degustaueritis, significationem aliquam mihi daturos, cupere uos magnopere reliqua, quæ in Prosperi arculis delitescunt, in publicum exire. Atq; ut illa suis nominibus indicem, cum bona opificis uenia, supprimuntur præter ea quæ in codice hoc continentur, in eadem officina, Paraphrasis in Galeni librum de naturalibus facultatibus, nouum, & præclarum opus, neq; à quoquam (quod sciam) antè tentatum: Duodeuiginti cōmentaria, per quæ Prosper totidem illustribus, & potentibus uiris, in uarios morbos consilium dedit: Enchiridion præterea, de cautione à uenenatis, Clementi VII. Pont. Max. scriptum. Iam uerò epistolæ quàm plurimæ, alijs, atque alijs amicis] de curatione certarum ægritudinum missæ. Hæc omnia, si quæ prodierunt uobis placuisse intellexero, ut uobiscum communicentur, lapidem (quod aiunt) omnem mouebo: & uel à uolente (si adduci se facilè passus fuerit, ut famæ suæ uiuens suis edendis consulat) sumam: uel certè (uestræ utilitatis maiore, quàm ipsius uoluntatis habita ratione) quoquo poßim modo, ut inuito eripiam, elaborabo. Valete.

PROSPER CALANIVS CANDIDO LECTORI.



AEC est candidiſsime lector huius noſtræ Paraphraſis ratio: equidem abſurdum iudicaui, me in florentiſsima urbe, in tanta nobiliſsimorum atque grauiſsimorum hominum copia tam celebri ingenuarum omnium artium ſede, tandiu nonnullo etiam cum dignitatis gradu, domiciliũ habuiſſe, necꝫ interea quidquam de ſtudiorũ meorum quaſi promptuario, bonarum literarũ ſtudioſis impertiſſe: quare, cùm id animo agitarẽ, mihi facile perſuadebã, honori meo perbelle cõſultũ iri, ſi eorꝫ quidpiã, quæ ſupioribus annis, nõ ambitionis, nõ inanis glorię, nõ ſordidi denicꝫ alicuius lucri cupiditate, ſed potius medicinę ueteris, in priſtinũ ſuũ candorẽ reſtituendæ gratia ſcripſerã, in præſentia ederẽ. Verùm ab hac me ſentẽtia nõ parũ auocabat facultatũ omniũ mearũ cũ infirmitas, & fortaſſe pręcocior partus, tum uel maxime ꝙ uerebar, ne detractoris cuiuſpiã ſtomacho, quẽ nihil pręter delicatiora quędã delectare ſolẽt, mea utpote uel inſulſa, uel ſubacerba, ingratiſsima cõtingerent. Facilè cũctationi meæ occurrerũt Ludouicus Buccaferreus, Romulus Amaſæus, & Achil-

les Bocchius, in hoc nostro Bononiẽsi Gymnasio Philosophiæ, & Latinarum, Græcarũq; literarũ clarissima lumina: Qui, ubi has nostras lucubratiunculas, quę singularis fuit eorum humanitas, accuratê legissent, non dubitarũt affirmare, studiosis, & ueritatis amatoribus, qbus præcipuè solida ueterum medicorum disciplina cordi est, eas olim nec inutiles fore, nec ingratas. Ac propterea, ut ad medicinæ candidatorum utilitatem primo quoq; tempore formis excudendas darem, me summopere exhortati sunt. Quibus quidem uiris planè singularibus, mihiq; arctissimo amoris, & beneuolentiæ uinculo coniunctissimis, quum summam rerum omnium fidem habeam, non putaui cõmittendum, ut uiderer illorum hac in re parui iudicium, atq; autoritatẽ fecisse. Quãobrem opellas hasce meas, quæ meã certè erga uos egregiam uoluntatem testatam facere plenissime poterunt, uobis candidissimi medicinæ professores dicare cõstitui. Quibus si uos delectari, & studia etiam literaria quoquo modo iuuari cognouero, nõ solùm amicis meis id propè cotidiano conuitio efflagitantibus obsecutum me fuisse pœnitebit: sed magnum etiam lucrum ex ijs uigilijs arbitrabor aliquãdo me fuisse consecutum. Valete bonorum artium studiosissimi, & hæc nostra qualiacunque fuerint, æqui boniq; facite.

PARAPHRASIS PROSPERI CALAnij medici Sarzanensis in librum Galeni Pergameni De inæquali intemperie.



DE INAEQVALI intemperie dissertationem secundum Galenum aggredimur. Cuius scientia, medicis præsertim, quibus curationis ratio cordi est, admodum necessaria uidetur. Sed quoniam ob eius uariam rationem cognitu difficillima est, præstabit certè singula eius genera, & generationis uarios modos in pręsentia explicare. Hæc nanque in corpus totum, modò in particulam eius quampiam debacchari solet. Euariatque nonnunquã ob materiæ qua mouetur, & qualitatis rationem. Et modò ab internis, modò ab externis causis, tum simplex, tum composita suscitatur. Quæ omnia, cũ dilucidiore, quoad fieri poterit, oratione pertractare statuerimus, haud alienum fore existimaui, de his in primis aliqua præfari. Quod si planius (ut speramus) perficiemus, multum nos perspicuitatis hac in materia præstitisse putabimus.

SED de recto librorũ Galeni ordine primò aliqua sunt differenda. In quo, ea planè ratione, qua in uniuersum omnibus suis uoluminibus satisfacere possemus, nobis in præsentia scribere animus non est. Id nanq; ob ea, quę diuersis suis monumentis uariè, sed potius contrario modo scriptis tradidit, immensum, uelutiq; inexplicabile esse uidetur. Quamobrem, ut hic noster de inæquali intemperie labor magis perspicuus appareat, tantùm nunc cum Galeno operæ fuerit preciũ testari, hunc de inæquali intemperie librum (quem, sicut prædiximus, in necessariorum meorum gratiã nuper interpretamur) post eos, quos de compositione medicamentorum inscripsit, esse legendum. Sed in primis (ut naturæ ordinẽ prosequamur) quæ de elementis scribuntur, scire oportebit. Elementa siquidem in cunctis, quæ in uniuersa hac naturæ mole continentur, prima, & simplicissima corpora esse censentur. Quapropter, inter cæteros Galeni libros, is qui de elementis secundũ Hippocratem nuncupatur, primò legẽdus occurrit. Verũenimuero, cùm ex primarum qualitatum, atq; simplicissimorum humorum complexu, & permixtione, temperamenta in rebus constituantur, proximo loco tres libri de temperamentis cõmode disponẽtur. Hæc siquidem simplicioribus

ribus primo in rebus, nempe lactuca, tritico, osse, neruo, carne, & id genus facilius ostenduntur. Quæ ideo calida, frigida, humida uel sicca dicuntur, cùm in his elementorum quippiam excessum, & præcellentiam obtinebit. Quapropter ab his tractatus de simpliciũ medicamentorum facultate iusto ordine perlegemus. Nec eos me iudice hallucinari arbitraremur, si classe hac ipsa de simplicibus medicamẽtis libros, de ossibus, de neruorum sectione, de uenarum, arteriarumque sectione, & quos de sanguine aduersus Erasistratũ cõposuit, num scilicet in arterijs contineatur, etiam annumerarent. Ea etenim simplicia sunt, & similaria corpora: & uelut membrorum compositorum prima sunt elementa: è quibus organicæ certè partes componuntur. Quarum planè cognitio omnis, absque illis irrita esse solet. Proinde eos à libris de temperamentis, quos prædiximus, proximè statuendos esse censeremus. Ex quibus simplicibus, cùm uaria medicamentorum genera, pro morbi, & particulæ, & ægrotantis natura, & opportunitate confici soleant, prius ac ea permisceri, & admoueri oporteat, curationis Methodum, quæ unicuique uel morbo, uel particulæ usui esse debeat, præcognoscere conueniet. Quocirca Galeno autore quatuor supra decẽ Therapentices libri, cæterique, qui

Methodi alicuius meminere, post illos de simplicibus erunt perlegendi. Ab his aurea illa, & postremæ quidem lectionis, cõmentaria de compositione medicamentorum secundum locos, & de compositione medicamentorum secundum genera (hæc nempe κατὰ γένη: illa uerò, κατὰ τόπους Græcè dicuntur) iure ipso cõsequi debent. Ad hos postremò tres alij tractatus de optima corporis constitutione, & de bona eius habitudine, & de inæquali intemperie consequentur. Nam medicamenta, priusquam corporibus admoueãtur, nosse oportet: Corpora deinde si optima fuerint cõstitutione, uel bona habitudine prædita: uel intemperie aliqua affecta, quæ functionibus naturalibus offi cere possit. Nam medicamẽtis optima corporis & constitutio, & habitudo, ut conseruetur, egere uidetur. Hanc planè medicinæ partem nostri præseruatiuam appellant: Græci uerò προφυλακτικήν. Dum uerò intemperie, uitióue alio corpora ipsa tentantur, ad medicamentorum rationem, quæ eam leuent, confugiemus. Qua ex causa, tres hos libellos, ad composita medicamenta uel iunctim, uel diuisim, Galenũ haud absque ratione apposuisse existimandum.

Quæ series librorum, quanquàm pro naturæ ordine, sicut prædiximus, seruanda sit: tamen ad faciliorem doctrinam, cum naturale

tempe

temperamentum exactè cognosci non posſit, niſi quæ intemperiei ſunt, etiam calleamus, ad libros de temperamentis, librum de inæquali intemperie pertinere, & alterum ab altero non facilè diduci poſſe arbitramur. Ordine igitur doctrinæ, utpote qui à notioribus nobis auſpicari ſolet, rem noſtrã, Galeni exemplo, proſequemur. Verumenimuero priuſquàm ad rẽ pertractandã ueniamus, perſpicuioris doctrinæ gratia, aliqua de eis, quæ naturæ ordine procedunt, in primis diſſerendum uidetur. In quorum numero, intemperies eſſe cenſetur. Quam planè nobis obſcuram eſſe neceſſe eſt, niſi quæ primò temperiem efficiunt, exactiſsimè cognoſcamus. Hæc ſiquidem in primarum qualitatum ſymmetria conſiſtit. Quę ſi in corpore toto, uel membris iuſtum ordinem non ſeruabũt, quodq́ partibus ipſis iure debetur, exceſſerint, dubio procul his in locis nos intemperiem ipſam nactos eſſe oportet. Hæcq́ inæqualis erit, dum particulæ alia qualitas, q̃ pro naturali ſtatu ſuo cõueniat, aliqua ex cauſa introducetur; Idq́ bifariam accidet: Nempe ſine cõtrarietate, & cum cõtrarietate (his enim nominibus magis apud recentiores medicos uſitatis, perſpicuitatis maioris gratia uti libet, quàm Latiniſsima, utpote obſcuriora, recenſere, quæ alioqui malè initiatos profeſſores in le

gendo

gendo possent remorari) uerbi causa: Iecur suapte natura calidum, & humidū, ubi aliqua ex causa frigiditatem nactum fuerit, ab inæquali intemperie contraria corripietur: intemperies quidem hæc ipsa erit iecori, quoniam eius genuina caliditas ob frigus acquisitum iamiam remittitur, & corruptionem admittit: Inæqualis uerò cum cōtrarietate, quoniā difformis, & contraria existit temperamento naturali particulæ, quę ab ea pro parte alteratur. At si iecori ipsi phlegmone aliqua biliosa, quę planè inflammatio calida est, & humida, acciderit, ex qua uiscus ab extraneo calore magis quàm sit particulę ex usu calefiat, intemperies etiam ipsa erit inæqualis, sine tamen cōtrarietate. Inæqualis nanq;, quoniam maior ille caliditatis extraneæ gradus, membri proportione redditus non est, quia excedit: sine autem contrarietate: quandoquidem extraneus calor, naturali calori particulæ in qualitate contrarius non est: quo dubio procul naturalis alteratur, & corrumpitur: incipiente nanq; alteratione, corpus à suis functionibus licet lędatur, minime tamen desistit. Verumenimuero ubi alteratio ipsa usq; adeò processit, ut ad functionū usq; abolitionem peruenerit, perspicuum fuerit, intemperiem æqualem iam totum corpus occupare: sicut exempli gratia in febre hectica

extrane

extraneus calor, usque quaque uniuersum corpus familiariter tentat, ut incōmodi quidpiam amplius præsentire non poſsit: ea ſiquidem eſt cauſa, quòd ab extraneo calore totius corporis functiones iam ſuperatę exiſtunt: & uſque eò ſopitę, ut earum affectio minime percipiatur. Aequaliter enim tunc intemperies ipſa, per uniuerſum corpus debacchatur, cuius familiaritate ſenſus hebetior effici ſolet. Ex his igitur clarè apparet, inter æqualem, & non æqualem differentia. Nam licet ab una ad alteram, non niſi eadem uía, & proceſſu perueniri poſsit: effectu tamen, actionis'ue ratione diducuntur: Inæqualis ſiquidem pathos parit, quoniam manifeſtè alterat: Aequalis uerò, ſine manifeſta paſsione informat: Hæcque finis eſt, & terminus inæqualis intemperiei: illa uerò cauſa, principium, & proceſſus ad æqualem: Quæ ideo æqualis (ſicut prędiximus) dicitur, quoniam æqualiter, & ſine diuerſitate omnes partes particulæ informat. Ex ijs præterea patere arbitramur, inter librum de temperamentis, & librum de inæquali intemperie differentiam. In hoc quidem tantùm de inęquali intemperie Galenus agere uidetur, ipſius planè rationem, cauſas, & de introductionis modis differendo: utpote ſi in particula, ſiue in toto corpore exiſtat: & de eius etiam perſeuerantia. In illo uerò

in uni

in uniuerſum de temperamentis diſſertationem oſtendit: ſi bona uidelicet ſint, uel mala: item ſi æqualia, uel inæqualia, aut ſi actu, uel potentia tentant. Et qualia etiam ſint temperamenta, calida uidelicet, frigida, ſicca, uel humida. Et quot ſint numero: & quàm uarij in his cognoſcendis modi.

Inæqualis intemperies aliàs in toto animalis corpore fit, uelu ti in ea hydropis ſpecie, quã Græci anaſarcã uocant.

Ab hac prefatione perſpicuũ fore arbitror, inæqualem intemperiem in toto animalis corpore exoriri; cùm ab ea hydropis ſpecie, quã Græci ἀνασάρκην appellant, corripietur. Ea ſiquidem tertia eſt aquæ inter cutem ſpecies, & ὑποσάρκα etiam dicitur, & λευκοφλεγματία. Hæ nanq; uoces, quanquàm uariæ eſſe uideantur, & uarias hydropis ſpecies ſignificare, eas tamen unius tantum formæ eſſe ſcriptores memoriæ prodiderunt; A' carne enim, & ab albo humore, omnes appellationem habent, & crudus ſanguis, pituitoſus, toti corpori diſtribuitur; Ex quo ſolidæ partes, ab aduentitio frigore alteratæ, in aquæ naturam reſoluuntur, corpusq; totũ inæquale redditur, tumoribus aliter, aliterq; exorientibus. In ceteris uerò aquæ inter cutẽ ſpeciebus, Aſcite uidelicet, & Tympanite, aquoſus humor, uel flatus, ex cibi cruditate auctus, inter inteſtina tantùm, & tunicam, quam peritonæon Græci uocant, diffunditur. Quapropter ex anaſarca ſolummodo

omnes corporis particulæ ab inæquali intemperie afficientur. Hacq́ex causa, Hippocrate autore, insanabilis redditur, haud secus, quàm in sordidis hominibus auaritia, quæ hydropi comparata ab Horatio Flacco his elegantissimis uersibus decantatur:

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit uenis, & aquosus albo
Corpore languor.

In toto præterea corpore inæqualis etiam intemperies uersatur, ubi quis ab hepiala febre corripietur. Ea nancq́ illis frequens esse solet, qui se crapula, & otio plurimo dedidêre: ob diuturnam siquidem desidiam, lentæ, uitreæq́ pituitæ plurimum, quam Græci ὑαλοειδῆ uocant, in eorum corpore gigni oportet. Ex qua horrores nõnunquam inexpugnabiles, & qui nullo calore superari possunt, citra febres eueniunt. At si hæc ex toto putredinem admiserit, quod quidem ob maximam eius frigiditatem rarissimè accidit, cotidianam febrem accendit. Pro parte uerò putrefacta, & accensa, hepialum. Quapropter eodem tempore ægrotos toto corpore frigescere, & calfieri, maximaq́ inæquali intemperie uexari uidemus. Enimuero partes quæ non putruerunt, per uniuersi corporis uenas, aut reliquam ipsius molem

Et febribus his, quas ijdẽ hepialas appellant.

molem ſparſæ, & commixtæ, horrores, & cum tremore algores, admittunt: quę uerò putrueꝛrunt, febrem cum tepore. Ob idq́ꝫ febrē hanc, quæ ex cotidianarum numero eſt, Hepialum per translationem à mari, appellari opinor: ἅλς quippe Græcis mare dicitur, quod ab iniꝛtio quidem ἤπια, id eſt, tranquillum uidetur, tempeſtate uero exorta difficilimū: uel quoꝛniā ἠπίαλος dicitur, quasi ἠπίως ἀλεαίνειν, quod eſt leniter calere. Nam ipſa in febre ob pituitæ frigiditatem, non niſi blandus, & clemens teꝛpor induci ſolet. In cæteris uerò febrium geꝛneribus ab hecticis, calor uel frigus, uniuerſos etiam corporis artus, plus, minus ue iuſto deꝛpaſcitur: Quapropter omnes animalis partes in his æquè ab inæquali intemperie, ſicut fuꝛſius infrà diſſeretur, uexabuntur. Particula inſuper omnis per ſe, ab ea etiam intemperie tentatur, cum ob aliquam fluxionē, tumor, uel phlegmone, gangrena, eryſipelas, cancer, eleꝛphas, phagedæna, & herpes in ea conſederint.

Fereq́ꝫ reliquis omnibus exceptis, quas hecticas nominãt.

Incidit autē & in una qualibet parte, quum ea uel intumuit, uel phlegmone, gangrena, eryſipelate, cancro'ue affecta eſt.

Tumor licet per ſe autore Galeno nomen ſit generale, phlegmone, eryſipelati, ſcirrho & œdemati: hic tamen per tumorem, de œdemaꝛte tantum intellexiſſe uidetur. Eſt nanq́ꝫ œdeꝛma tumor laxus, abſq́ꝫ dolore, ex ſimplici piꝛtuita factus: qui ſi manu comprimatur, digiꝛtorum ueſtigia temporis momento aſſeruaꝛbit.

bit. Arabes undimiam uocant.

Phlegmone uerò ex ſanguinis influxu eſt, copioſioris, quàm ſit particulæ ex uſu, ex eaq́; intemperies inæqualis muſculi naſcitur. Nam inter initia feruet in eo cum dolore ſanguis, cuius calore, uicini ſucci trahuntur, ut putat Galenus, uel cõfluunt, ut Aſclepiades. Igitur quicquid erit phlegmones, id ſuperpoſitæ partes uiciniores efficiẽt. Quamobrem omni in phlegmone materia uel antecedens, uel coniuncta, in ea parte perpetuò feruebit; ob idq́; ridiculum eſſe arbitror, à cõtraria parte, ut recentiores arbitrantur, per uenę inciſionem materiam ipſam euocare; cùm eam ex eadem parte commodius euacuemus, & præſentaneam ſemper utilitatem conſpiciamus.

Magnam phlegmonen, quando nec medicamentis digeritur, nec in pus conuertitur, gangrenam Græci appellant, & ſphacelon. Eſt nanque gangrena corporis à naturali habitu in alienum naturæ mutatio, uitæq́; in ea parte priuatio; & necroſis à cadaueris forma à Galeno uocatur. Tanta plerunq; tyrãnide gangrena præpollere ſolet, ut ni mẽbro affecto, quàm ocyſsime ſuppetias afferamus, morte corripiatur. Huius uerò morbi corruptio proximiores citò partes depopulatur; Ex quo breui tempore in toto corpore mors facilè accedit.

Retinet gangrenæ nomen hic affectus, donec in parte affecta sensus conseruetur, quo extincto Græci σφάκελον uocant, Latini syderationē, Auicenna aschachilos, in quo perperam, sicut Nicolaus Leonicenus in extirpandis neotericorum erroribus censor acerrimus notauit, duos gradus posuisse uidetur: Nam cùm ad partes altas corruptio processerit, eam esthiomenum esse putauit, cùm esthiomenus inter herpetas, id est, serpentia ulcera magis sit reponendus. Herpes enim simpliciter dictus, à tenuiori, minusq; acri humore efficitur, & per se nonnunquam nascitur: Interdum uerò ulceri ex alia causa facto superuenit: solam enim cutis exteriorem partem urit, propterea bullulas milio similes excitat: hunc Celsus ignem sacrū appellat. Esthiomenus uerò herpes, id est, exedens carnem, à crassa fit bile, & acri, propterea totam cutem ad carnem usque & ossa depascere solet.

Inter tumores erysipelas etiam connumeratur: Ex tenui enim & puro & feruenti sanguine fit: interdum uerò ex sanguine & bile calidioribus: hoc nōnulli etiam ignem sacrum appellant. Celsus autem erysipelata ab igni sacro diuisit: cuius, cùm duas species esse dixerit, illam erysipelati similem dicemus, quæ summā tantùm cutem exulcerabit. Galenus exquisitum

tum

tum eryſipelas cutis ſolum affectionem eſſe affirmat: uerùm ubi altiora petierit, in aliud genus inflammationum tranſit:& ſi fuerit aliqua tumorum ſpecie permixtum, à prædominante affectione uaria nomina ſortietur: Phlegmone nanq; ubi eryſipelati dominabitur, phlegmone eryſipelatodes eſto. cōtrà eryſipelas phlegmonodes. At pares affectiones amborum appellationes obtinebunt, nempe phlegmone & eryſipelas, cuius nota, cùm ad tactū ſanguis ſubterfugiet, rurſusq; illabetur, apparebit.

Cancer, quem bilis atra, & craſsiſsima, modò abſque ulcere, modò cum ulcere, preſertim cùm acrior ſit, excitat. Peſsimis feris, & maleficis tumoribus annumeratur. Illū Hippocrates cæcum & latentē appellauit, qui ſcilicet curatione potius irritetur, ob idq; grauis, & incurabilis morbus efficitur: A` cancro enim animali aquatico nomenclaturam accepit. Quandoquidem uenæ circa eum ſanguine melāncholico plenæ & extentæ, animalis pedibus ſpeciē non abſimilem repræſentant, uel quòd ſicut animal ipſum quæ chelis corripuerit, retinet, ita malum à parte, quā occupauit, egerrime auellitur. Hacq; ex cauſa Græci carcinoma, & carcinomata appellauere. Quanquàm nōnulli, autore Celſo, cancrum à carcinomate ſeiungi poſſe opinantur: Illum quidem ab his, quę extrin-

ſecus incidunt, oriri, & ſerpere, hoc uerò corru pta interius aliqua parte innaſci. Canceroſi tu= mores circa fœminarum mammillas, ob earũ laxitatem frequentius generantur. In his nan= que tumor uiſitur magnitudine inſignis, ta= ctui reſiſtens, inæqualis teſtæ cancri animalis exẽplo, agreſtis feræ ſæuitiem referens, & lon= ge, lateq; radices dilatat, quaſi uenis adiacenti= bus adligatus. Colos huic cineritius, ad purpu ram uergẽs, ſubliuidusq;: ac ſpectantibus qui= dem mollis apparet, tangentibus uerò duriſsi= mus: Dolores pungẽtes, ac latè diffuſos, ad in= guina uſque aliquando, & axillas per conſen= ſum infert. Nec ſiſti poteſt, ſaniemq; emittit, quocunque ferarum ueneno nequiorem. Hi tumores omnes, ex aliqua ſemper humorum fluxione conſiſtunt, neque certam ſibi in cor= pore ſedem depoſcũt: modò enim in hanc, mo= dò in illam pro loci & corporis habitu, & op= portunitate decurrunt. At ubi eorum quiſpiã partem aliquam occupauerit, eam uel frigore, uel calore, aut humido, uel inſolenti quapiam ſiccitate tentabit: Ex quo intemperies inęqua= lis neceſſariò conſequetur, cuius cauſa particu læ functiones uel lædentur, uel ex toto interi= bunt. Exempli gratia: Si membrum uel gan= grena, uel cancro affectum fuerit, primò ut ab intẽperie inæquali afficiatur, neceſſe eſt: Pro=
cedente

cedente deinde morbo, naturali facultate membri ipsius deuicta, ad æqualem tandem, & uniuersalem intemperiem cum nece perducetur. Quod membrum, nisi illico precideretur, uitio per uniuersum corpus debacchãte, animal conficeret. In hoc igitur mẽbrorũ censu, qui scilicet modò partẽ occupãt, modò corpus totũ, pertinet etiã Elephantus, Phagedæna, & Herpes. Elephantum siquidẽ & elephantiasim hoc malum à colore, uel à cute animalis eius nominis, Græci dixere. Genus est cancri Celso autore, Leonicenus uerò, & Manardus, nostri tẽporis ueteris Medicinæ acerrimi instauratores, eum morbum, quem recẽtiores, & Arabes lepram appellant, esse contendunt, multum tamen à Græcorum lepra diuersum. Hæc nanque cutis potius dehonestamentum est, quàm morbus, & quę curationibus facilè pareat; Elephas uerò uniuersum corpus tentat, & curationem cõfirmatus non admittit. Hacque ex causa Auicenna, lepram, quam nos elephantiasim diximus, totius corporis uniuersalem cancrum esse memoriæ prodidit; quod nec à Galeni placitis alienũ esse uidetur. Quippe qui de Symptomatum causis libro, id uitium assimilatiuæ facultatis errorem esse, ob carnis intemperiem affirmat; uel est intemperies in carne uitians assimilatiuam facultatem; Hoc nanque causa mor-

Huc pertinet, & qui Elephas dicitur, et Phagedæna, & Herpes.

bi erit, illud uerò symptoma: Idq; usu ueniet, quoties sanguis turbidus, & malãcholicus, depravati cibi causa auctus ad uniuersam cutem expelletur. Quod quidem, nisi primò tota corporis caro se uitio dederit, euenire posse arbitratur. Proinde Galeno etiam autore elephantum totius corporis cancrum esse, facilè iudicatur: propterea ab eo in eorum tumorum censu, qui solam partem afficiunt, perperam annumeratum fuisse testatur. Quamobrem ne grauissimo scriptori, tam de re medica bene merito, & cui tanquam maximo lumini, ab eo, omnis secuta ętas sine controuersia cedit, tam euidens nota impingatur, nõnulli pro eius defensione elephantiasim, quanquàm omnem hominis carnem depascatur, in una tamen corporis parte tantùm uersari censuerunt. Caro siquidẽ membrum est similare, igitur affectum in sola parte esse contendunt. Quod planè procul à uero esse, nec ex his Galenum ab hac nota uindicari posse uidetur. Quapropter scire licet, membra in homine esse & simplicia, & composita. Hæc nanq; ab Aristotele ἀνομοιομερῆ, quasi tu dicas dissimilaria, etiam uocantur, quoniam apta sunt in dissimiles partes secari. Facies enim, manus, pes, & id genus, cum diuiduntur, & nomine, & diffinitione totius carebũt: quippe faciei pars, non erit facies, neque pedis portiuncula,

riuncula, pes. Proinde membra ipsa à nonnullis organica, hoc est, instrumentalia & officialia appellantur: quoniam anima eis ad motus & operationes pro instrumento uti solet. Illa uerò ab eodem autore ὁμοιομερῆ, id est, similaria & incōposita, quæ scilicet in similes sibi partes diuiduntur: ut, caro in carnē, & os in os, neruus in neruum. Stante igitur elephantiasi in similari membro, utpote in carne, uitiū non in una tantum corporis parte (ut putāt) sed in officialibus potius patebit. In quibus in uniuersum secundum iudicium sensus, corpus ipsum exquisitè ualere non censetur. Quippe cùm carne dissimilaria omnia uestiantur, & elephas inprimis sit carnis affectus, in membro omni id uitium debacchari oportet. Quod planè experimento facilè erit uidere, si acu membra ipsa feriantur: ubique enim ob sensus priuationem dolore uacantia apparebunt. Quamobrem pestem ipsam, præsertim confirmatam corpori, uniuersale, & non partiale uitium esse contendo. Verumenimuero ubi id primò se nobis manifestauerit, neque ex toto in uniuerso corpore depasci perspiciatur, iure quidē portiunculam tantum eam occupasse testarer. Ideo medicus, qui artifex est, sensilis, & affectionibus, quæ sensibus interiacent, pro existimationis suæ iudicio occurrere debet, affectiones eas,

quãq; insensibiliter per uniuersum corpus grassarentur, in particulam tamen, eas tantum esse existimaret, in qua oculis primo patuisse uideret: sicut exempli gratia, in eo uitio quod nos uulgò lepram appellamus, plerunque usu uenire uidemus, quæ quanquàm latẽter per uniuersum corpus debacchetur, ea tamen in extremis primo manifestari oportet. Ea igitur loca à morbo solùm tentari à medicis arbitrarẽtur. Quapropter Auicennam haud absq; causa lepram suam ab extremis corporis partibus incipere scripsisse apparet, & paulatim usque eò procedere, donec ad principes partes, cum animalis interitu progrediantur. De hac itaq; elephantiasi, quę nobis primò manifestè occurrit, mihi satis persuasum habeo, Galenum fuisse locutum: quam planè etiam in eorum tumorum censu, qui solam partem occupant, uerè non asscribẽdam putauit, sed ad eos tumores tantùm uideri pertinere. Quod uerbum, non rei alicuius essentiam, sed appendicis potius aliquid declarare uidetur. Vnde rem aliquam dominio nostro pertinere dicimus, quã aliquo iure possidemus, quamuis dominij nostri esse non censeatur. Par in phagedæna, & herpete erit ratio: qui abscessus, nõ uerè in tumorum genere, qui particulam occupant, locandi erunt, sed ad eos tantum pertinere, sicut elephas arbitrabimur,
etsi

etſi ex toto eum corruptioni non dederint. Eſt nanque phagedæna ulceris genus, quod nomas appellant, cui nomen eſt ab euentu: carnem enim ſubiectam comedit, & circunſtātem corrumpit. Fit autem à materia, media quidem inter materiam, quæ facit herpeta, quæ tenuiſſima eſt, & ea quæ facit cancrum, quæ craſsiſsima eſt: celeriter quoque cum inflammatione ad oſſa uſque penetrat, ſanioſa eſt, & odore fœtida, mortē affert, idcirco inter ulcera male morigerata à Galeno reponitur. Quibus licet omnia uel quàm decentiſsimè, & rectiſsimè feceris, ob malignitatem tamen, quæ in loco ulceris reperitur, curatio non accedit. Intenditur itaque in dies magis, & breui tempore ad herpeta eſthiomenon pertranſit. Ex his igitur apparet inter cancrum, phagedænam, & herpeta ex diminutionis tantum & acceſsionis ratione differentiam eſſe, & ab uno ad aliud faciliorem tranſitum fieri. Quippe cum herpes inter eryſipelata reponatur, eaque fieri à flaua bile perſpicuum ſit, ſi pituitæ quippiam eis permiſceatur, mitiorem herpeta efficient, & cum craſsiore bile phagedænam: at maiore adhuc cum craſsitie, & humoris aſſatione cancrum: ex quibus omnibus dubio procul, in membro ubi decubuerint, inæquales ſemper intemperies cum materia conſtituent.

Verum hæc omnia cū fluxione conſiſtunt.

Absque etiam materiæ affluxu solis partium qualitatibus aliquatenus alterãdis inæquales intemperies fiunt, utique refrigeratis ijs, aut densis, aut immodicè exercitatis, aut feriatis, aut aliquid id genus passis.

Atque absque materiæ defluxu, inæqualis etiam intemperies fieri solet, cùm membra scilicet sola qualitate alterantur: Nempè cum ab euidentibus causis, utpote calore, frigore, immodica exercitatione, diuturno ocio, & huiusmodi afficiuntur. Calore siquidem particulæ corripiuntur, si sol, ignis´ue eas plus iusto concalfecerit: Aequè à frigore tentantur, ubi durissima in hyeme rigebunt. At exercitatio uehemens, & intempestiua, corpus nimis excalfacit, ob caloremq́; ab hac excitatũ, eius partes plerunq; calidiores euadunt. Contrà feriatis, qui in longa quiete, crapula & somno prolixiori uersati sunt, ob frigiditatem corpus hebescit.

Iam ex medicamentis his quæ foris corpori occurrunt, inæqualis intemperies gignitur, dum id uel frigesit, uel calefit, uel siccatur, uel humectum redditur.

Nec minus, ubi medicamentũ corpori foris occursauerit, inæqualis in eo intemperies exorietur. Quippe cùm sinapim, thapsiam, chalcitim, & id genus excalfaciẽtiũ medicamentorum corpori admoueris, exulcerationem ea in parte cum calore

lore promouebis: Contrà si opium, glaciem, ferrũ, frigiditatem: At ex plumbo & camphora siccitatem: cum oleribus uerò recentibus, & maturis fructibus, humiditatem. Et hæc quidem quatuor simplices erunt, & impermixtę intemperies: ea tamen ratione, qua in libris de temperamentis proditum est, annumeratæ. Ex quarum coniugatione quatuor alias compositas, cõmodè efficiemus. Calor enim simul cum humore, uel cum frigore, compositam quidem, & inæqualem intemperiem, ubi eius naturæ uel medicamentum ad externa corporis intempestiuè applicabitur, suscitabũt: ob idq; intemperies huiusmodi, quòd particulas tantum afficiant, ab æqualibus, quæ per uniuersum corpus, sicut de hecticis, & elephantiasi prædiximus, æqualiter decurrunt, apertissimè diducentur.

Quippe hæ simplices intemperies sunt, uelut in ijs, quæ de temperamentis scripsimus, est monstratum.

Cõpositæ ex his aliæ quatuor sunt, cùm corpus uel calefit simul & siccatur, uel calefit simul & humectatur, uel refrigeratur simul & siccescit, uel refrigeratur pariter & madescit. Quòd autẽ eiusmodi intemperies ab æqualibus eò distent, quòd in omnibus intemperanter affecti corporis partibus æqualiter non insint, id clare liquet.

Igitur tempestiuum esse arbitramur, de his omnibus intemperiebus,

Ergo quis sit omnis inæqualis intemperaturæ ge-

nerandæ modus, in proposito libello statutum est exequi. Admonẽdi autem sumus, quò clarior nobis omnis disputatio sit de omnibus corporis particulis, principio à maximis sumpto, quæ scilicet ne uulgo quidem sunt ignotæ.

Siquidem manus, & pedes, & uentrem, & thoracẽ, & caput nemo est qui ignorat. Diuidamus autem earum rursus unamquanque in proximas sui, quæ προσεχῆ Græcè dicuntur, particulas. Verbi gratia, crus in femur, tibiã & pedem.

periebus, qua scilicet ratione generentur, differere: si primo ad maiorem doctrinæ perspicuitatem de omnibus humani corporis partibus, in quibus decumbunt, disputationem aggrediemur. Scire etenim facile non est, qua ratione inæqualis intemperies in membro possit generari, nisi primò membri illius positura, facultas & natura exactè cognoscatur. Qua ex causa à maximis primo membris, quæ uel imperitos, & uulgares homines non fugiunt, exordiemur. Caput siquidem, manum, uentrem, thoracemq́; & id genus, nemo planè quisquam ignorat: Eorum tamen proximiores partes, ex quibus componuntur, cùm ab omnibus non cognoscantur, locus admonet, ut de singulis particulatim differatur: Ea autem Græcè προσεχῆ μόρια dicemus. Crus itaque ex femore, tibia, & pede continetur: Hæ nanq; partes, quanquàm numero, forma, & positura distinctæ sint, propterea

pterea tamen, quòd ad exactas eorum functiones, una absque altera esse non potest, iure quidem omnes una tantum cruris appellatione cõprehenduntur. Femur femoris´ue os in magnorum corporis humani ossium censu reponitur: à coxendice, ischion uocant, cum quo per duas cotylas, id est, cauitates unitur, ad genu usque protenditur, ubi cum suprema etiam tibię parte annectitur. Ob magnum enim femoris usum ad corporis sustẽtationem maximum omnium ossium factum est. Quamobrẽ summi opificis prouidentia in humani præsertim corporis fabricatione, nunquàm satis admirari possumus: Cùm grandiora scilicet ossa ab exilioribus absque iniuria tolerantur. Femur siquidem (sicut prædiximus) à tibia, quæ eo longè exilior est, sustentatur, cuius pondere facilè opprimeretur, nisi fibulæ adminiculo, quam suram etiam appellant, pro ualidissimo ariete communiretur. Tibia uerò cum fibula, arctissimis, ualidissimisq; ligaminibus talo connectitur: & ea cum cæteris pedis ossibus, licet longè minoribus usqueadeo fulciuntur, ut à corporis grauitate, nisi uiolentissimè, non possint fathiscere: Id propterea à summo creatore factitatum censetur, quòd cùm animali sapientissimo, rationisq; participi, ac mansueto, crura ad deambulandum, sicut manus ad capiendum

dum inſtituta ſint, ne ob partium inferiorum grauitatem, motiones, quæ nonnunquam ei uelociores eſſe debent, retardarentur. Ea præterea ratione totũ brachium, in brachium, & cubitum, & ſummam manum diuidemus. Quæ partes licet inter ſe quoquo modo diſsideant, ob tamen functionum cõcatenationem, ex qua non facilè ſit unam ab altera ſeparare, iure quidem omnes, ab una brachij nomenclatura appellationem cõſequentur. Cubitus autore Hippocrate, ea brachij pars eſt, qua firmamur. Brachium autem ex duobus oſsibus cõſtat, quorum maius Radius appellitatur, minus uerò Vlna. Quæ planè à cubito ad carpi articulationem producitur. Celſus brachium ab humero uſque ad extremam manum eſſe contendit. In his partibus enumerandis, quandoquidem liberiori diſputatione indigemus, ſi de his particulatim omnia ſcriberentur, ideo cum id inſtituto noſtro laboris plurimum, & utilitatis parum præſtare poſsit, à paraphraſi hac noſtra, minus ꝙ fieri poſsit, digrediendum fore putaui. Neceſſaria igitur tantum perſequentes extremam manum, quam paruam etiam recentiores nominarunt (magnam ſiquidem ab humero ad extremos uſque digitos eſſe putant) in plures adhuc partes diuidemus: nempe in digitos & uolam (quæ eſt eius pars interior,

Item totum brachium in brachium, cubitũ, & ſummam manũ.

Iam manus ipſius particulæ ſunt uola, & eius pars aduerſa, μετακάρ-

interior, & palmam etiam appellant: à brachiali enim inchoata, ad digitorum radices protenditur) & partem ei contrariam, quam nomine carere Aristoteles Animalium primo memoriæ prodidit: Leonicenus uerò eam manus dorsum doctissimè interpretatus est. Thomas Linacer, alioqui doctissimus Galeni interpres, partem uolæ contrariam, eam esse arbitratus est, quam Græci metacarpion, & Latini haud ineptè subbrachiale appellãt. Cui planè haud accedendum esse uidetur: Nam metacarpion ex quatuor ossibus, quibus quatuor digiti à pollice connectuntur, maximè constat, quòd à uola, & à dorso aptissimè circundatur. Quapropter cùm in summas, extremas'ue manus partes iure describi non possit, Theophilo luculento scriptori Græco accedendum opinor, qui cùm de extremis manus partibus disseruisset, uolam in eis apposuisse uidemus, & metacarpi alio in capite meminisse.

πιον Græci uocãt, & digiti.

Sed ne in tam uaria nominum dissertatione diutius immoremur, in qua plerique grauissimorum scriptorum etiam non parum discordarunt, operæ fuerit pretium ad digitorum particulas, unde digressi sumus, redire: quorum fabricatio cùm ad uarios, & necessarios animalis usus esse censeatur, quid mirum, si eos partiũ multitudine insignitos perspiciamus? nempe

Digitorum uerò particulæ sunt oßa, chartilago, ligamẽtum, arteria, uena, membrana, caro, tendo, unguis, cutis, adeps.

nempe ex osſibus,chartilagine, ligamentis,arteria,uena,membranis,carne, tendone, unguibus,cute,adipe. In his quidem osſium numerus quinarius ſupra decem uno omnium aſſensu conceditur : quæ oſſa,ad membri,& eius actionis firmitudinem, ut in digitis, ita in toto corpore opportuniſsima uiſuntur. Eorum planè numeroſitas, digitos ipſos,ad omnium planè actionum perfectionem promptiores facit: quòd minime ad id, ſi ex oſſe ſolo fabricati eſſent, idonei redderentur. At quoniam ex osſium nimio attritu,ob motus aſsiduos, particulę tum imbecillitas,tum ineptitudo exoriretur, niſi ſummi opificis prouidentia rebus conſuluiſſet: idcirco osſibus ſummo cum artificio chartilagines appoſitas fuiſſe cernimus, ut earum lentore, & pingui humore, olei uel alterius rei unctuoſæ exemplo, osſium durities emolliretur, & ex ea ab iniurijs munitiores efficerentur. Quæ licet maiori osſium parti manifeſte adhæreſcat, ſcapulis tamen, auribus,coſtis, quas mendoſas appellant, maximè familiaris exiſtit. In duritie osſibus longe inferior eſt chartilago, nec propterea ad digitorum articulos, minori cum auxilio,& utilitate ligamenta aſcribuntur : quæ planè inter ſimilaria recipiuntur, & neruo in colore perquàm ſimilia ſunt. Cum uerò ex nimia eorum attri-

tione

tione dolore non afficiantur, ſenſu carere arbi-
trantur. Ex ijs enim articuli commodè deuin-
ciuntur. Quandoquidem ea ab uno ad alte-
rum ſua ſponte prouenire creduntur. Horum
nanque alia quales nerui rotunda, & craſſa fi-
unt, alia uerò membranarum inſtar, pro arti-
culorum tamen tum utilitate, tum neceſsitate
prælonga & ſubtilia: Maxima ſiquidem, &
craſsiſsima præcipuos & maximos cuſtodiunt
articulos, reliqua uerò minus præcipuos, &
exiliores. Venæ autem, & arteriæ in digito-
rum particulis, ſicut & in cæteris corporis
partibus etiam annumerantur. Ex ijs tum à
iecore, tum à corde, quod partibus neceſſa-
rium eſt, tranſportatur. A` corde enim arteriæ,
quicquid fumoſi ſpiritus in eo gignitur, & tra-
hunt, & euomunt, & uirtutem pulſatilem, &
ſpiritalem, ex qua in membro naturalis calidi-
tas cuſtoditur, accipiunt: A` iecore uerò uenæ
naturalem uirtutem, quæ generandi ſimul, &
ferendi ſanguinis gratia etiam ſunt conſtitu-
tæ. Vnde has ab hepate, & arterias à corde
exortum habere prodiderunt. Ambæ enim
ex nerui licet ſubſtantia dura, atque munitiſ-
ſima, utpote quas uitæ theſaurum tueri opor-
tebat. Arteriæ tamen, cum maiore negotio,
ob ſpiritus ſubtilitatem, quem cõtinere opor-

tet, detineantur, firmioris tunicæ inferioris productæ ſunt. Venarum præterea proceſſus (arterias etiam intelligo, quandoquidem Galeno autore, antiqui per uenas, utraſque intelligebant) in unaquaque corporis parte deprehenduntur: Ea uidelicet ex cauſa, ut una ab altera, quod ſibi idoneum eſt, exhauriatur: Arteriæ ſiquidem, quod in uenis ultimo elaboratum eſt, ut uirtuti animali pabulum ſubminiſtrari poſsit, accipiunt. Ab his uerò utilitates, quæ ex reſpiratione, & pulſibus fiunt, ſympathia, ſeu, ut Græci dicunt, ἀναστομώσει quadam in uenis proficiſcuntur. Nec ſua digitis ex membranulis utilitas etiam deeſſe uidetur, eas recentiores panniculos uocant: texuntur ex ſubtilioribus, propeq; inuiſibilibus neruorum filamentis: propter quod eorum ſubſtantia tenuiſsima eſt, in membrorum mollium ſuperficiebus, quale eſt iecur, cerebrum, pulmo, & ut eorum figuratio conſeruetur, oblita apparet. Et ex ea, ſi iniuriarũ quidpiam in eis offeratur, ſenſum recipiunt. In quampluribus præterea durioribus membris etiam membrana utilis eſt: Ab hac nanque, tanquam à duriſsimo, & fortiſsimo munimento conteguntur. Et ob id in naturali figura eorum particulæ facilè perſiſtunt, & ab offenſione

ſione tuta ſunt. Verbi cauſa: ſi à membro molli, durum ſubſequatur, & contrà, membrana intermedia, ut molle à duro minime corripiatur, facit: & ſi quid iniuriarum extrinſecus occurrat, defendit.

Carne inſuper ab internis tantum partibus, & ab lateribus digiti abunde ueſtiuntur. Super externas enim eorum partes, caro coalita oneri aſcriberetur. Ad interna uerò, præſertim inter partes eas quæ ſunt inter articulos, oſsium rectitudinē, ſi rotundi quippiam comprehendi debet, corrigit, & ſui mollitudine occurſantes, ſuauiori tactu demulcentur. À lateribus præterea carnis tantum ineſſe fuit opportunum, ut partibus in ipſis cauitates egregiè coæquarentur: Ex quo pro animi arbitrio manus ad uarias operationes uel iunctis, uel diuaricatis digitis poſsint accommodari. At in articulorum iuncturis ob id præcipuè perpauca producta eſt, ut ex maiori copia, eorum motus minime retardarentur. Ex quo tam exigui, ſtupendi tamen corporis humani opificium operæ pretium eſt admirari. Atque neminem certè tam acris ingenij eſſe puto, qui eius miraculoſam fabricationem exactè comprehendere poſsit. Nam inter cætera ſi digitorum motionis diuerſita-

tem contemplati fuerimus, quot ſcilicet particulis eos natura dotauerit, uſusq́ue uarietatem, profectò hominem non terrenum, non mortalem, non ullius calamitatum generis participem, ſed ex cœleſti potius domicilio nobis traditum facilè poſſemus excogitare. Sed cùm tam diuina opera innumeris infortuniorum & malorum generibus, & corruptioni tandem patere uideantur, nihil planè homine infelicius, miſerabilius, fragiliusq́ue, & meo quidem iudicio ignobilius eſſe ducitur. Quamobrem, cur tam infelicis conditionis homines eſſe cenſeantur, ut id mihi penitus obſcurum eſt, ita maiori ſenſu, atque ingenij ſublimitate præditis inueſtigandum reliqui. Sat quidem mihi in præſentia perſuaſum eſſe uolo, ſi ad digitorum motus ſicut propoſui, redirem: qui motus à tendonum, & muſculorum facultate, pro uoluntatis imperio certiſsime efficiuntur. Tendo namque, τένων Græcis, quem recentiores chordam appellant, antiquis ob ſimilitudinem in neruorum cenſu ponebatur. Quod à Galeno, cùm tendo ipſe ex cerebro, & ſpinali medulla non oriatur, minime comprobatur. Ex neruis enim & ligamentis (non æquis tamen portionibus, nam plus nerui quàm ligamenti tendo

in ſe

in se continet) in musculo dispersis, prognatus, in eorum musculorum extremitatibus, ubi rursus coniunguntur, primò apparet. Eius planè utilitas in particula est sentire, & pro uoluntatis arbitrio mouere; præter hæc musculos etiam colligare. Ex quo manifestum est, eum à neruo sensum, & motum, & colligationem à ligamento accipere. Tendonum numerositas in carpi postremo, id est, in iunctura, qua manus brachio alligatur, apparet. Quæ ab ulnæ musculis prognata, per manus tum exteriores, tum interiores partes, directis lineis, ad digitorum usque extremitates protenditur. Ex eaque ueluti funiculi cuiusdam simulachro, pro uoluntate digitis motus imperitatur. Tendones insuper, carne & durissima membrana, ut ab externis iniurijs, & ab ossium duritie, muniantur, uestiti sunt. Desinunt autem omnes hi tendones summis in digitis in unguium duritiem, aëris frigiditate ad hoc faciente. Pars nanque terrea, in qua humoris & caloris parum sit, ob ambientis frigiditatem facilè densatur, sicut in brutis animalibus cornua & ungues. Horum uerò unguium homini tanta est utilitas, ut uel quàm solertissimo difficilè sit iu-
 dicare,

dicare. De quibus illud præcipuum indicauit, quòd unguibus à natura datum sit perpetuò ad animalium utilitatem excrescere. Ob ætatem enim unguis iniuriam non accipit. Nec ex his, quæ eos in summis partibus exterere possint. Augentur enim in dies hi pilorum modo in longum, alijs scilicet semper subnascentibus, antiquos propellentibus. Quapropter eos, ne digitorum functionibus quippiam deesse possit, semper integerrimos esse oportet. Duros præterea, non tamen ossium instar, ne apprehensionis munus, quod manibus præcipuum est, ossis duritate, & carnis mollitudine offenderetur. Ea igitur ex causa unguis inter ossis duritiem, & nerui soliditatem medium tenet, ut in durorum corporum tractatione fractu contumax esset: tanta tamen densitate præpolleret, ut summorum digitorum carnositas, & mollitudo, eorum firmitate sustentaretur. Ex quo quicquid uel tenuissimi, uel crassioris substantiæ apprehendi oportuerit, facilè consequatur. Vnguium rotunditas, cum ad securitatem, tum ad perfectionem facit: Quippe rotunda figura iniuriarum minimè capax est, & cæterarum figurarum perfectissima homini sanè omnium animalium

animalium perfectißimo, maxime idonea.

Cutis carne ſicceſcente efficitur, ea ſcilicet ratione, ut inquit Ariſtoteles, qua cruſtula in polenta. In omni corporis parte, non actionis, ſed uſus tantum gratia data eſt, eam Græci δέρμα uocant, nos uerò corium: uniuerſam enim corporis ſuperficiem exornat, protegitq; decoris gratia, atque corij inſtar exteriores ambientis noxas propellit. Membrum enim neruoſum eſt cutis, poroſumq;, & his partibus, quæ functiones perficiunt, imbecillior: unde haud ab re, ſi excrementorum copia plerunque ad cutem, uelut ad partem imbecillißimam tranſmittitur, ex cuius nempe foraminibus corporis fumoſæ ſuperfluitates perpetuò exhalant. Nulla præterea pars cutis æquè temperata ac manus exiſtit, & id iure quidem: Quippe cùm homini inter cætera animantia temperatißimo, atque prudentißimo, omnium ſenſilium diſcernendi norma eſſe debuerat: quid mirum, ſi tactus inſtrumentum, utpote perfectißimum, & à natura ipſa conceſſum fuiſſe perſpexerimus? Hac igitur ex cauſa manus in homine, ſummiq; præcipuè digiti, ubi neruorum, uenarum, & arteriarum omnium deſinent

ſinentiam eſſe ſcripſit Hippocrates, temperatiſsimi extitere. Ad interna cutis adeps gigni ſolet: Ex fluxili nanque & oleoſo pingui quod ſupernatat in ſanguine cogitur: quando ſcilicet in frigidiora membra, utpote cutem & membranas inciderit, non tamen dureſcit: quãobrem ueteres cõmodè adipem humidiſsimam dixere. Si uerò id in calidiora, ſicut in carnem acciderit, eius calore abſumitur, digeriturq́;. Adipem præterea à pinguedine, quoniam hæc frigoris minus quàm illa habet, pleriq; diduxere, easq́; ad membrorum uacuitates implẽdas utiliſsimas prodiderunt.

Has autem diuiſiſſe in aliã ſpeciem non eſt: ſed ſunt ſimilares, ac primæ, exceptis tamẽ arterijs & uenis. Hæ nanq; ex fibris & mẽbranis ſunt cõditæ, ueluti in tractandæ diſſectionis ratiõe eſt traditum.

Hæ ſunt digitorum particulæ, quæ in alias ſpecies minime diuidi poſſunt: Similaria nanque, & prima ſunt membra, præter tamen uenas & arterias: quæ cùm ex membranis, & fibris quibuſdam conſtituantur, ſicut in anatomicis adminiſtrationibus memoriæ proditum eſt, num in compoſitis, uel in ſimplicioribus membris annumerari debeant, in præſentia dubitare oportet.

Cenſent nonnulli uenas, ob id quòd ex duabus tunicis, & uarijs fibrarum ordinibus conſtent, iure ipſo in compoſitarum partium cenſu eſſe reponendas: Venæ ſiquidem (ſanguinis

enim

enim emissaria intelligo)quanquàm ex peculiari tunica componantur, membrana tamē nonnunquam,ubi pręsertim quapiam in parte adhærere opus est,conteguntur.Motus pręterea multiplex,utpote attrahendi,concoquendi, & expellēdi,cùm uenis in ipsis esse debeat, id planè munus fibrarum uarietas, quibus maximè abundant,obire debet.Arteriæ uerò,quandoquidem sanguinem spiritalem, utpote calidissimum,atque subtilissimum continere debent, eas duabus tunicis, & filamentorum uarietate præmunitas,omnes maximo consensu prodidere:nempe exteriorem uenis perquàm simillimam, interiorem in quintupla proportione duriorem,atque crassiorem. Quamobrem ex his tum uenas,tum arterias,sicut pręsaid diximus, in organicis potius, quàm in similaribus partibus locandas esse contendunt.

Quibus ita respondemus, quòd licet ad motus diuersos,& firmitatis rationem filamentorum uarietas, & tunicarum geminarum complicatio,uenis & arterijs maximè necessaria sit, eas tamen hac ex causa in compositarum partium numero minime collocari posse uidetur. Quippe uenas dissimilares in partes diuidi nō posse, Aristoteles de Partibus animalium secundo est autor. Cuius enim quælibet pars si

 secetur

ſecetur (quod quidem ſimilaris proprium eſt) uena erit. Nam quemadmodum in aurea fiſtula, cuius cùm fibris, tum rectis, tum obliquis gemina adſit tunica, ut omnia ex auro, ita in uenarum ſtructura & tunicæ, & filamenta ex neruo conſtare uiſuntur. Fibrę etenim eius generis membri ſunt, à quo deſcendunt. uerbi cauſa. arteriarum uilli, partes arteriarum ſunt. Eadem propê erit ratio in uenis, ſtomacho, & inteſtinis, cæteriſq; membris, in quibus fibrarum genus inuenietur. Vnde ex parte filorum, & tunicarum in uenis diuerſitas non erit, reſpectu diſpoſitionis materiæ, quæ nequaquam figuræ, ſeu formæ rationem poterit euariare. Quapropter haud ſatis mirari queo Galenum hoc in libro uenas & arterias in ſimilaribus non appoſuiſſe, cùm in libro de Morborum differentijs, de his contraria ſcripſiſſe uideatur. Neque de hoc tantùm, ſed de illo magis ſubire debet admiratio, quòd idem autor, in Anatomicis adminiſtrationibus tunicam exteriorem arteriarum fibras rectas, quas etiam longas appellant, cum aliquibus rotundis, latitudinalibus´ue, ut dicunt, & nullis tranſuerſis habere memoriæ prodiderit: De potentijs uerò naturalibus contrarium, in exteriore uidelicet tunica circulares adeſſe

esse fibras, in interiore uerò rectas, & paucìores obliquas. Qua de re ut singula exactìſsime intelligantur, scire intereſt, in animalis partibus tria localis motus genera tantum ineſſe, nempe attractionem, retentionem, expulſionem, quibus motibus, tres fibrarum modi neceſſariò inſeruiunt: Rectæ ſiquidem attractioni parent, retentioni rotundæ, expulſioni uerò obliquæ. Atqui cùm alteratricis membrorum facultatis non meminerimus, quam planè membris Galenus quartam eſſe uoluit, num ab aliquo harum fibrarum genere ſuppeditetur, dubitare licet. Cenſendum arbitramur alteratricem facultatem, & retentricem coniunctam eſſe, eamq́ꝫ ex rotundis fibris maxime iuuari. Quæ fibrę omnes, autore Auicenna, in mẽbris unicam tunicã habentibus, ſicut uena, reperiuntur. Galenus autem eas ex duabus tantum fibris, nempe rectis, & rotundis conſtare dixit. Fibras uerò, quas tranſuerſales, & obliquas diximus, in arterijs & membris, ex duabus tunicis contextis ſolùm reperiri. exempli gratia: in exteriore tunica rotundæ fibræ inueniuntur, in interna rectæ, & obliquæ. Et illæ quidem, ut ambarum auxilia, attrahendi & expellendi coniunctiora eſſent, ad interiorem poſterioris

uenæ

uenæ superficiem magis protensæ apparent. Ex quo haud ab re coniectari potest, harum fibrarum connexum, uenis usqueadeo implicatum, ut facilè non sit earum scientiam exactissime explicare. Quod cùm in præsentia nostri non sit propositi, in paraphrasi, quam in librũ Galeni de Potentijs naturalibus propediem absolutam habebimus, diffusius pertractandũ relinquo. Sed sat nunc nobis esse opinor, quam membrorum facultatem inæqualis intemperies uitio dederit, prænoscere: Num scilicet attractricem, aut retentricem, uel expultricem: quæ dubio procul si contigerit, ob uillorum affectionem accidisse perpetuò iudicabimus.

Quinetiã complura esse spatia inter ipsas primas & similares particulas: atque his etiam plura, maioraq; inter ipsas instrumẽtales, & compositas: aliqua uerò & in una qualibet si-

Refert præterea nõ tantum compositorum membrorum particulas scire, uerumetiam spatia, quæ inter eas iacent, obseruare. Nam inter similare & similare, inter organicum & organicum, spatium, & locus esse censetur: uerbi causa, Inter cutem & membranam, quæ ut plurimum ad eam sequitur, ut superiacentes partes contegat, atque tueatur, locus est. Inter musculum item, & musculum, membrum sanè organicum tantundem. Nec solùm inter membrum & membrum spatia esse uisuntur, sed ipso præcipuè similari in membro. Cutis siquidem foraminibus plena est, per quæ perpetuo

petuo excrementa corporis fumosa perspirant. Et grandiora ossa patenti admodum concauitate perspiciuntur; quibus naturæ beneficio medulla, ut alantur, data est. In his quidē spatia ipsa, quoniam dura sunt, & sicca, facilius apparent: In illis uerò, utpote mollioribus, quoniam adhærescunt, difficilius. Horum autem causæ, cùm libro de Temperamētis, & de corporum sectione fusius scripta sunt, de eis amplius non disseram. Hæc tamen præmonuisse perspicuitatis gratia ad ea, quæ sequuntur, necessariū esse uidebatur.

Ad inæqualem igitur intemperiem reuertentes, eius naturā, & uarios generādi modos, sicut promisimus, describemus. Sed meminisse primò oportet eorū, quę in principio disserui, nullam animalis partem esse, quæ ob aliquam humorum fluxionem, ab una tantum temperie affici posse uideatur. Nam particula cùm ab aliquo humorum genere corripietur,

milari particula, ueluti osse, cuteq́; : hæc quoque omnia in ijs, quæ de administrandis dissectionibus scripsimus, sunt prodita. Ac quæ mollia quidē sunt corpora, ea quoniam sibi inuicem incumbunt, interposita spatia latêre conspectum faciūt: quæ dura, siccaq́; sunt, in ijs cernere spatia licet, sicuti oßium cauernulas. Continēt hæ naturaliter multum in sese humoris, huiusq́; albi, in id comparati ut ossa nutriat. Quæ in cute foramina sunt, ea qua ratione fiant, in ijs, quæ de temperamentis præcepimus, est dictum. Atq; hæc monuisse necessariū erat claritatis causa eorum, quæ à nobis deinceps sunt dicenda.

De inæquali uerò intemperie nunc agendum, tum quænam eius natura sit, tum quot eius generandi modi. Ergo quòd in omnibus particulis corporis, quod fluxione est affectum, unica temperies non sit, prius est dictum: uerùm id commune omnis intemperamenti inæqualis est.

ripietur, in ea quidem pro materiæ ratione mala qualitas introducetur. Calida scilicet, frigida, humida uel sicca: quæ natiuum eius temperamentũ manifestissime alterabit: Et eousq; procedet alteratio ipsa, donec uel ex toto à mẽbri facultate fortiori digeratur, uel eam mẽbri facultatem exactissime corrumpat. Ex his igitur apparet in particula læsa non unã tantum temperiem esse, sed duas, nempe aduentitiam alterantem, & naturalem pro uirili aduersantẽ. Hicq; fluxionum modus, dum in particulam agit, inæquali planè omni intẽperamento communis esse uidetur. Cuius differentiam, non ex fluxionis modò, sicut prædiximus, sed ex particulæ natura, quæ fluxionẽ admittit, recipiemus. Alia siquidem natura musculo, alia uerò ossi, & alia deniq; carni esse debet: Ex quo particulæ ipsæ, pro naturæ, qualitatis ue suæ ratione, intemperiei differentiam facere uidentur. Carne enim affecta, ab alia intẽperiei ratione, quàm musculus tentatur. Hic nanq; ex neruis & ligamentis, admixta carne consistit: illa uerò simplex est, & similaris. Dolorem igitur maiorem, & uehementiorem intemperiẽ à musculo affecto, quàm à carne perspiciemus. Quapropter ut singula perspicacius examinentur, non alienũ fuerit, de singulis fluxionũ generibus seorsum disputare. Et à calidioribus auspicabimur

Differentiæ eius ipsam corporũ affectorũ sequuntur naturam, cùm aliter simplex caro, aliter uniuersus musculus impari temperamẽto sit affectum.

cabimur: quarum ratio hæc eſt.

Calida fluxio, nempe uel ſanguinea, uel biliosa, uel ex utroq; humore permixta ubi muſculo contigerit, maiorem quàm ſit ex particulæ uſu calorem cum alteratione pariet: Ex quo arteriæ & uenæ, maiores quidem, quę eo in loco ſunt, utpote capaciores, fluxionem eam calidiorē, id eſt, ſanguinem plus iuſto calidum diffluentem ſuſcipiunt: exq; eo obſtructæ maximè diſtēduntur, pulſant, & dolent. Ab his deinde minores pari noxa trahuntur: Sicq; eouſque proceditur, donec ad capillares uenas fluxio ipſa peruenerit. In quibus ubi ualentiſsime impacta eſt, & à prioribus uenis tranſmittendæ fluxionis occaſio etiam non intermittatur, ut ſanguis ipſe, tum per earum uenarū ora, tum per tunicas, terræ colantis exemplo trāſmittatur, neceſſe eſt. Ex qua uacuitates, & ſpatia, quæ inter prima, & ſimilaria corpora eſſe prædiximus, facilè complentur, diſtend

Quippe calida fluxio ubi in muſculum procubuit, primùm maiores arteriæ, uenæq; opplentur, ac diſtenduntur: ab his minores: atque ita res procedit, donec ad minimas ſit peruentum.

In ijs ubi ualenter impacta fluxio eſt, nec adhuc ſiſtitur, partim eius per ipſarum ora, partim per tunicas, ueluti colatum foras tranſmittitur: tum uerò ſpatio ipſa uacua, quæ inter prima ſunt corpora, fluxione implentur.

Sic omnia ab humore, omniq; ex parte incalescunt, ac perfunduntur. Ea sunt nerui, ligamenta, membranæ, caro ipsa: anteq; hæc arteriæ, & uenæ, quæ scilicet & primæ, & præter cætera uario dolore afficiuntur. Quippe interius à fluxione tum excalfiunt, tum distenduntur, ac diuelluntur: exterius non modò excalfiunt, sed etiam premuntur, ac degrauantur. Reliquæ particulæ aliæ comprimendo solùm uel incalescendo, aliæ utroque genere laborant.

distenduntur. Humoris igitur calore, & copia, nerui, ligamēta, membranæ, & caro ipsa omni ex parte incalescunt. Atque ob intemperiem, & continui solutionem, dolore maximè cruciantur. Sed in primis uenæ & arteriæ, quæ cùm prima sint fluxionis receptacula, & ex plurimo neruo uestiantur, ut uario etiam & maiori dolore afficiantur oportet. Ab internis siquidem partibus humoris calore tentantur, & ob eius copiam summopere distenduntur, ac diuellūtur. Ab externis uerò non modò calefiunt, sed premuntur etiam, atque degrauantur. Ab his præterea, cæteræ particulæ, utpote nerui, ligamenta, membranæ & caro uel compresſione tantùm laborabūt, uel incalescent, aut utraque ratione afficientur. Quippe cùm membranæ ab externis grauitatibus à quoq; comprimi posse non uideantur, à calore tantum corripi uidemus. Ligamento uerò contraria aderit ratio: quod cū omni

ferè

ferè ſenſu expers ſit, à qualitatis iniuria nõ afficietur, ſed à forti cauſa aggrauante, quæ cæteris partibus ſubiacentibus dolorem facere poteſt. Id autem ligamentum, quandoquidem duplex eſt, à quo ſcilicet oſſa cõiunguntur, & cum quo muſculi tendo, oſsibus ipſis alligatur. De hoc ſanè in præſentia Galenus meminiſſe uidetur. At à neruo, & carne, utriuſq; noxa, caloris ſcilicet & compreſsionis, ob eorum ſubſtantiã poroſam facilè recipiet. Hic igit̃ fluxionis modus, Gręcis morbus, qui φλεγμονὴ nuncupatur, à Latinis uerò inflammatio: qui morbus eſt intemperies muſculi ſine contrarietate. Membrum enim quod ſuapte natura calidum eſt, & uenis, & arterijs maximè abundat, ſympathiæ gratia, ab eius naturæ morbo facilè tentatur. Qui morbus à ſanguine tum redundante, tum inflammato primò eſt, qui in eo muſculo conſiſtens particulæ ipſius calore naturali, & aduentitio admodũ ferueſcit, quo feruore uenæ atq; arteriæ in primis maxime incaleſcunt: deinde extra has omnia alia uiciniora, quæ ſanguine ipſo irrigantur, atque circunfunduntur. Quam ob cauſam, alterum conſequi neceſſe eſt, phlegmonen ſcilicet uſq; adeò incaleſcere, ut membri facultas ex toto extinguatur: uel ſuperata phlegmone, muſculus ad integritatem reuerti uideatur. Hi nanq; ſunt

Appellaturq; morbus ipſe Phlegmone. Eſt autẽ inæqualis intemperies muſculi: feruet enim iam qui in eo eſt ſanguis.

Is ſecũ excalfacit primũ quidẽ ac maximè arteriarũ, & uenarum tunicas: mox uerò oĩa q̃ extra has ſunt, q̃bus ſcilicet circunfunditur.

Ita duorũ alterũ neceſſe eſt ſequi,

ſunt duo phlegmones finiendæ modi. Ab altero igitur, qui fluxionē ſuperauerit (nam ſatius quidem eſt, ut meliora ſemper præferamus) exordiemur. In hoc ſiquidem duplex curationis ordo occurrit: Vt ſcilicet quod iam in particulam defluxit, digeratur: uel id potius medicamentis, quæ pus mouere poſsint, concoquatur. Hic nempe cum naturam maxime irritet, ob dolorem uidelicet, quem uel intemperies, uel ſolutio cōtinui parit in membro, facit ut ille curationis ordo, qui digeſtione, id eſt, reſolutione curationem molitur, præ cæteris ſit eligendus. In his præſertim locis, ubi principes partes ob hoc iniuriā admittere non queunt. In alijs uerò, utpote adenibus, periculum imminet, ne ob medicamentorum frigiditatē, quibus digeſtio, ſiue reſolutio præcipue efficitur, fluxio ad eas conuertatur. Adenas namq; eas partes appellant, quæ ſecundum aures, in collo, alis, & femoribus, ob glandulas inibi exiſtentes tument. Neoterici principum partium emunctoria uocant: nonnulli uerò inepte (ut arbitror) ganglia: quoniam non in carne, uerùm in neruis fiunt ganglia. At in medela, cui concoctio attribuitur, duo potiſsime requirūtur, nempe puris generatio, & abſceſſus: Qui ubi in maximis, & ignobilioribus capacitatibus, quibus proximus ſit excremēti exitus

ut ſi fluxio uicerit, corruptio ſequatur uictorum corporū: ſin fluxio ſit uicta, ut muſculi ad naturalē ſtatū redeant. Eſto igitur prius uicta fluxio (rectius enī à melioribus incipitur) duplex hîc incidit curatiōis genus: q, uel digeretur qc qd humoris in particulā pcubuit, uel cōcoquetur. Verùm digeſtio optanda maximè curatio eſt.

Cōcoctionem hæc duo neceſſariò ſequūtur, pu

exitus, contigerit, bono aſcribetur. Ad magnam ſiquidem capacitatem, meatus etiã magnus, & ꝓximus conſequitur. Ex quo facilis, laudabilior, & abſq; timore fuerit puris defluxus, præſertim ſi ex his fuerit particula, q̃ à principibus membris diducũtur. In cæteris uerò particulis, ubi magna adſit capacitas, propinqua tamẽ alicui ex principibus locis, utpote adenibus, abſceſsio eò ob id grauior cenſetur, ꝙ principi parti noxã facilius minitetur. Aequè etiã erit difficilis inflammatio, ſi ignobili in loco, minime tamẽ capaci exoriatur: Quod plane in exẽplis planius cognoſcemus: Nam in loco ad uentriculum attinente abſceſſus in eius cõcauitate optimus eſſe apparet. Ex amplo enim ipſius ſinu, & meatus laxitate purulentũ (ſi contigerit) cõmodius depurgatur. Sed qua ratione Galenus hũc in uẽtriculo abſcedendi modũ optimum eſſe uoluerit, iure dubitare oportet:

ris generatio, & eius in aliquod ſpatium abſceßio. Abſcedit aliquando in capacitatum quæ propinquæ ſunt, tum maximam, tum minime momentaneã: quod ſanè abſceßionis genus optimũ eſt.

Aliâs in non momentaneã quidem, non tamen maximã. Interim in maximam, nõ tamen non momentaneam. Ac quæ in uentriculum incidũt abſceßionum, optima eſt quæ in ſinum eius internũ abit, in quem etiam plerunque ſe aperiunt: mala uerò quæ ſub peritonæum.

Quippe qui optimum domus alicuius patrocinium, & rei bene gerendæ curam susceperit, ægrè cuncta moliri oportet, si quid, quod ad eius malam dispensationem faciat, inciderit: ita uentriculo accidere perspicuum erit, ubi propter abscessus, quod toto corpori pro alimẽto distribuitur, malè concoquatur. Eius nanque error, à iecinore haud recte corrigi solet. Et hepatis ipsius uitiũ, à cæteris partibus Galenus in libris de Naturalibus facultatibus, haud corrigi posse contendit. Quamobrem recte mirari possumus, eundem autorem capacitatis uentriculi abscessiones purulentas optimas esse scriptis tradidisse: Cùm ex his potius ægri, ad malum corporis habitum, & ad alia morborũ genera plerunque deuenire uideantur. Sed ne id autori uitio uerti posit, censendum arbitror Galenum inflammationes eas aliarũ respectu, quæ ad peritonæum abeunt, optimas iudicasse. Quæ autem in peritonæum incumbunt, licet ignobiliori adsint in loco, ob modicum tamen spatium, quo purulentum continetur, & meatus, à quo pus ipsum expurgari posit, difficultatẽ, iure ad difficiliores referuntur. Similis quoque erit ratio in illis, quæ cerebro ascribuntur: Nam si in duobus uentriculis anterioribus extiterint, capacior locus, & amplioris meatus propinquitas, quo pus cõmode ex

Pari modo in ijs, quæ circa cerebrũ existũt, bona est quæ

de expurgari poteſt, eas minus ſuſpectas, & aliarum comparatione incolumiores reddunt. At in membranis cerebrum tegẽtibus, eiusq; posteriori uentre abſceſſus fiunt deteriores. In hoc quidem pus, cùm meatu careat, ad neruorum originem facilè detrudetur. Ex quo paralyſes, lethargi, & alia eius generis mala cõmodè conſequentur. In illis uero, cùm loci anguſtia adeſt, etiam uegetior ſenſus, & puris expurgandi incõmoditas. Vnde nimirum, ſi his in caſibus, deliria, ardentiſsimæ febres, aliaq; mala plerunq; accidere uideantur. At in coſtarum locis calidi tumores, cùm in thoracis ſpatio perbelle erumpant, tolerabiliores apparent. Sed ob membranas ubi colliguntur, difficiliores. Ex his nanq; ſpirãdi difficultas, tuſſes, pulmoniæ, & ſuppurationes ſæpenumero eueniunt. In muſculos uerò ubi decubuerint, ad cutem abſcedunt. Hic nempe locus ignobilis eſt, & eruptionibus maximè patet. Sed in uiſceribus, id eſt, in iecore & liene abſceſsiones, ad earum arterias & uenas, aut ſub membranis, quibus cutis exemplo aduerſus iniurias operiuntur, procumbunt. Quam ob cauſam, tum ex his, & membri etiam ipſius generoſitate, tum ex meatus obſcuritate, ex quo non facilè purulenta expurgari poſſunt, difficiliores efficiuntur. Vnde haud obſcura opinor uaria hæc

in priores eius uentriculos abſcedit: mala q̃ ſub inuolucra eius, item quæ in poſticum eius uentrem ſe recipit.

Qui uerò circa coſtas abſceſſus colligũtur, hi in capacitatem erũpunt pectoris, ac muſculorũ qdẽ abſceſſus ſub cutẽ, uiſcerũ uerò in arterias & uenas, quas in ſe continet, uel in membranam qua operiuntur, quæ ipſis ꝑ cute eſt.

ria hæc abſceſſuum ratio. Ex qua qui in cæteris corporis partibus euenient, horum ſimilitudine facilè cognoſcentur. Quod planè medicis, pluribus ex cauſis utiliſsimum fore perſuaſum habeo. In primis nanque ſuppurationes, ſi capacem quempiam in locum abierint, ſicut prædixi, atque expurgationibus proximiorē, eas inter optimas iudicabunt. Contrà, ſi uili, minime tamen capaci, aut in capaciorem, & generoſum decumbent. Præter hæc ex qua methodo eorum curationes moliri oporteat, optimè dignoſcunt: quæ methodus cum in morbi cognitione præcipua eſſe debeat, quid quæſo præſtantius, quàm inflammationis locum, materiæ qualitatem, & copiam, & id genus præſentire? Horum igitur abſceſſuum ratio bifariam diuidetur: uel tanto nōnunquam fluore in particulam defluent, ut ex toto ſuperata, ad eam intemperiem deuenire neceſſe ſit, ut eius facultas pereat, & tēporis progreſſu corrumpatur: uel particulę ipſius tanta aderit integritas, & fortitudo, ut uicta fluxione, muſculus ad naturalem ſtatū reſtituatur. His itaque rationibus, inflam̃ationes ipſæ terminari ſolent, quarum extremum, quando nullus erit particulæ ſenſus, aut dolor, iure eſſe cenſetur. Idque perpetuò uſuueniet, quoties quicquid erat particulæ affectæ mutatricis qualitatis naturę aſsimi

At ſi uictæ à ſluxione particulæ fuerint, in tantā deueniēt intēperiē, unde tū earū peream actio, tū ipſæ ſpatio corrūpātur.

Porrò deſinent tum primùm dolere, quum mutatrici qualitati fuerint adſimilatæ.

aſsimilabitur. In hoc ſiquidem agentis naturæ ſimulachrum maximè apparet: quæ ubi fortior in agendo, quàm quod patitur in reſiſtendo, uſque adeò debacchabitur, donec ex toto paſſum, ad agentis naturam trāſmutetur. Exempli gratia: abſceſſus qui agentis uices gerit, ſi quādo membri facultatem, in quod decumbit, ſui mala qualitate, & natura deuicerit, eam corrumpet, & ad ſui naturam facilè cōuertet. Quapropter quemadmodum ad ægrotantis utilitatem medicum non præſtabit, morbi extremum cognoſcere, in quo nulla planè eſt remediorum ratio: ita utiliſsimum utriſque arbitror eius tempora noſſe, quibus auxilia opportuniſsimè poſſunt admoueri. In febris nanque hecticæ principio, uel certè ſecunda eius ſpecie, remedium plerunq; ſalutare eſſe ſolet; in tertia uerò irritum, & inane. Hac igitur ex cauſa morbi tempus exactiſsimè eſt cognoſcendum, cuius principium aliud remedium poſtulat, quàm uigor, & incrementum, aliudq; finis. Ex alteratione itaq; particulæ tempora ipſa facilè colliguntur. Quæ particula cùm ab aliqua intemperie alteratur, tūc dolet, corrumpitur, atque à naturali ſtatu permutatur. Contrà amplius non dolet, quando ex toto permutata eſt. Quod luculentiſsimè à non ſatis laudato Hippocrate, libro de Natura hu-

Non enim cùm mutata particularū tēperies iam eſt, ſiue (ut ſic loquar) in ipſo mutatū eſſe, do-

lent: ſed dum mutantur, ſiue in ipſa mutatione. Quemadmodum mirus dixit Hippocrates, *Dum alteraſcit, ac corrumpitur natura, dolores fiunt. Alteratur autem ac corrumpitur cuiuſque natura, cùm uel calefit, uel frigefit, uel ſiccatur, uel humefit, uel eius unitas diſſoluitur. In his quidem temperamentis, quæ inæqualia ſunt, ex calefacien do, uel ex frigefaciendo potiſsimùm, quippe cùm efficaciſsimæ qualitates hæ ſint: ſecundo loco è ſiccando, uel humectando.*

mana his uerbis memoriæ proditũ eſt; Dum alteraſcit ac corrumpitur natura, dolores fiunt. Dolet ſiquidem atq; corrumpitur particula, dum à calore, frigore, humido, & ſicco, & unitatis ſolutione tentat̃. Ex his nanque dum excedunt, fiunt membri intemperamenta inæqualia, à quibus poſtea dolores, & corruptiones. Verum à calore, & à frigore, cùm ſint qualitates in agendo efficaciſsimæ, uehementiores: à ſicco uerò, & humido, remiſsiores. Sed hic mihi in præſentia addubitare licet: Nũ ſiccitas, & humiditas, uerè inter agẽtes qualitates annumerari debeant. Pleriq; propterea quòd imprimendi facultatẽ in aliquod corpus exactè nõ habeãt, patiendi potius, quàm agendi naturã habere contendũt. Ob idq; Galenũ II. de Cauſis ſymptomatum libro, ab his dolores per ſe nõ fieri ſcripſiſſe, ſed ſolùm quãdo frigori & calori cõiungunt̃. Et quãquàm ex nimia ſiccitate

laborum, aut linguæ ſciſſura plerunque efficiatur, is tamen dolor erit, nō ex primaria ſicci affectione, ſed per accidens ob continui ſcilicet diuiſionem: quæ planè ex uehementi eius adſtrictione producetur. Aequè ratio eadē erit in humido, ex quo licet ligamenta in oſsium iuncturis interdum uſque adeò remolliantur, ut continui unitatis ſolutio, magno cum dolore conſequatur: ea tamen ex ligamenti affectu, cum ſenſum non habeat, minime eſſe cenſetur: ſed ob compreſsionem magis, ex qua neruus, tendo, & membrana, cæteraque ſenſu prædita, ab eo maxime diſtenduntur: quod certe ab humido ſolum id proficiſci non poſſe opinantur.

His contraria uidentur, quæ de fame & ſiti ſcribuntur. In quibus certè dolores ab humido & ſicco fieri putantur: nempe cum hic humidum, & illic ſiccum non ſuppeditatur. Fames enim & ſitis, cùm quædam ſint deſyderia ſubſtantiæ deficientis corpori, ob cuius caritatem cibi & potus cupiditas exoritur, iure quidem, ubi ſubſtantiæ ipſæ, quæ ſunt humiditas & ſiccitas, in uentriculo plus iuſto defecerint, ut in eius ore (fames enim & ſitis propriè ſunt oris ſtomachi paſsiones) affectus ex ſiccitate, & humiditate efficiantur neceſſe eſt. Experimento præterea ſicca & humida per ſe dolorem inferre apparebit, ſi contrariæ quali-

Ex eſuriēdo uerò uel ſitiendo, deficiente hîc humida, illic ſicca ſubſtantia.

D 5 tatis

tatis substantia famelico, & siticuloso intempestiue exhibeatur. exempli gratia: ubi ab admodum famascenti humida, & sitienti arida, & salsa deuorantur. Iis nanque in ore stomachi læsio sensui patientis manifestissima illico apparebit: idque maximè, si bene ualenti etiam, & multum ieiuno gelidam aquam propinauerimus. Ex qua statim, quanquàm haud uiolenter, sensu tamen manifesto uentriculi os ob remollitionem à naturali ferè habitu alienus, in quandam animi defectionem citò dilabetur. Nec hoc quidem absque ratione præterire oportet. Humens siquidem materia, cùm sit qualitas sensilis, mouendo sensum, iure potest sensibilem apprehensionem efficere: propterea & corpus corrumpere, atque à naturali statu permutare. Quod enim alicuius partis temperamentum excedere potest, illud sanè & alterare, immutare, atque corrumpere potest. Humiditas autem dum excedit, id perbelle efficere potest, ergo dolorem inferre. Ex his, quanquã inter se dissidentia scripsisse uideamur, concordandi tamen gratia scire oportet, dolorem diuersis in locis, diuersa etiam ratione à Galeno acceptum fuisse. Nam plerisque in locis, utpote de inæquali intemperie, secundo artis curatiuæ, xij. therapentices, secundo de uictus ratione in morbis acutis, cæterisque in locis, ubi humidum

humidum & ſiccum doloris cauſas eſſe aſſe-
rit, abſoluto modo, & largiter, cùm pro cu-
iuslibet exitu à naturali diſpoſitione ad eam
quæ eſt præter naturam, habuiſſe uidemus.
Cæteris uerò in locis ſtrictius, pro grauiori
ſcilicet moleſtia. Quamobrem ſecundo modo
accepto dolore, nec humiditatem, nec ſiccita-
tem doloris eſſe cauſam iure contendit.

Sed cum de dolore in præſentia mihi diſ-
ſertatio occurrat, haud alienum fore exiſti-
maui, de eius etiam cauſis nonnulla diſputa-
re. De quibus cùm non mediocris exiſtat in-
ter philoſophos, & medicos diſcordia, operæ
precium me facturum exiſtimaui, ſi pro iudi-
cij mei tenuitate, meã etiam, qualiſcunque fue-
rit, ſententiam interponerem. Cenſet Galenus
pluribus in locis duas tantum eſſe doloris cau
ſas, nempe intemperiem inæqualem, & iun-
cturæ ſeparationem. Et quanquàm ſecundo
de locorum affectorum notitia tres poſuerit,
illam tamen quæ ob tentionem fit, & non ſo-
lùm affectæ partis propriam ſedem lædit, ſed
uicinas etiam ſubiacẽtes, ad naturam ſolutio-
nis continui referendam eſſe uoluit. Senſiles
enim partes, ſicut nerui, membranæ, & id ge-
nus, quæ tenſionis loco ſubiacent, maxime ex
ea comprimuntur, diſtenduntúrque, atque ſol-
uuntur. Ex quo ſcire licet, quẽadmodum au-
tor ipſe

tor ipse has prædictas duas causas loco citato simul recte coniunxit, ita quarto de Simpliciũ pharmacorum facultate causas doloris de intemperie, ad eas quæ continui separationem pariunt, etiam complicauit. Vbi perpulchrè declarat, calorem & frigus mordicationẽ non facere, neque dolorem, nisi per continui separationem. Ob id nanque frigus, sicut scripsit Hippocrates, ulceribus mordax cẽsetur: quòd ubi aliquod corpus feriat, eius planè contrahit substantiam, condensat, & stringit. Ex quo primùm tenues exprimuntur humiditates, sicut horrida in hyeme ex oculis lachrymę excernuntur, & ex naribus mucci: postea uerò mordax apparet. Diuersa tamen ratione à calido fit mordax ille sensus. Quandoquidem quod est continuũ excedens illa caliditas erodit, frigiditas uero diuellit, ac mordet. Quamobrem ad Galeni mentem omnes doloris causas, quanquàm ab intemperie, aut compressione, alia'ue ex causa initium habeant, ad extremum tamen ad unitatis diuisionem eas iure ipso reduci posse contenderim. Et si modò uno in loco intemperiem, modò continui solutionem in alio doloris causam esse memoriæ prodidit, in hac planè causam uelut finalem, in illa uerò initiantem, me iudice, cõsiderauit. Vnde cum Galeno testari etiam possem, continui solutionem

lutionem omnium tandem dolorum causam esse. Cui nec inepte dolores etiam ipsos, qui ex sensibus perficiuntur, accommodari posse arbitrarer. De quibus rogo ut paucula ad doctrinæ perspicuitatem mihi liceat disputare, de gustatuque in primis, cuius instrumẽtum, quod est lingua, ab his quæ calfaciunt, refrigerantque, cæterisque quæ tactione participãt, diuelli posse, atque dolere minime addubitare oportet: quatenus uerò ad gustum proprie pertinet, ab amaris, acidis, atque acribus, pari noxa tentatur. A` quibus humoribus cum uapores abundanter resoluti fuerint, odorationem infestabunt, & in ea continuum diuellent. Atqui auditioni, uox aspera, & grauis, & uehemens strepitus, & id genus maximè aduersatur. Et uisionem illustrissimi splendores offendunt, atque corrumpunt. Et ut ad summam omnium sensuum doloris causæ reducantur, ipsis quidem pathos erit, quod molestum est: Quia cũ Platone in Timæo iure dicere possumus, molestam sensionem in corporibus sensu præditis fieri, si compositum ipsis πάθημα ex uiolento simul & conferto acciderit. His quanquàm ab Auerroë III. Colliget contraria scribantur, continui scilicet solutionem non esse causam doloris, sed ex ea intemperiem causari, quæ dolorem facere possit; & similiter contra

Auice

Auicennam, quòd à duabus causis, nempe cõtinui separatione, & intemperie, dolor ipse non proficiscatur, sicut in eius monumentis diffusius apparet: tamen ex quo Galeni, & sectatorum placita hac in nostra paraphrasi sectamur, Galeno libentissimè accedemus: nisi fortè concordandi gratia dicere uelimus, Auerrhois opinionem in ea continui solutione ueram haberi posse, quæ ex subito ictu, & percussione efficitur, à qua intemperies, quæ dolorem facit, statim consequatur. Alia inter eos conciliatio, cùm multum à proposito aberraremus, à nobis in præsentia non pertractabitur. Et id consulto, cum eam ad philosophũ magis pertinere non dubitemus. Quapropter cũ medicis dicemus doloris causas tum ab intemperie, tum à continui solutione exoriri, quas planè uiolenta nonnunquã percussio, ab his, quæ suprà nominauimus, in particula parere solet. Et mordax etiam quispiam sensus, qui eam uel alterabit, uel erodet: qui succus, si plus iusto crassior fuerit, solutionem ipsam extensione procurabit: multus uerò & grauior compressionem. At si is ad tantam copiam deuenerit, quod facilè doloris causa frequenter accidere solet, eruptionem, atq; diuulsionem molietur. Quæ omnia medicũ præcipuè, qui curationibus operam dat, scire oportet. Cum ei in his minimè

Ex uulnerãdo, & erodẽdo, & tendendo, & premẽdo, & cõuellendo, unitate ipsa soluenda.

minimè utile esse cẽseatur, scire quæ uehemen ter uel calfaciunt, uel refrigerant, si dolorẽ inferant, uel confertim, & uiolenter alterando, uel unitatem dissoluẽdo: Violenter siquidem, cùm alteratio ipsa sensim facta dolorem nõ parit. Quẽadmodum in illis clare uidere est, qui cùm recenti niue solatij gratia plurimum luserint, intensissimo statim dolore in extremis digitis, si repentè se calfecerint, uexãtur. Quod certè illis minime accidisset, si ad ignem sensim accurrissent. Et ex his, quæ hactenus scripsimus, inæqualis intemperiei modus, qui particulam tantum afficit, clarissime apparebit.

De eo uerò, qui totũ corpus occupat, iamiam est tempestiuum, sicut in principio promisimus disputare. Cuius primo naturam scribemus: deinde qua ratione fiat: postremò à quibus causis, dum in corpus introducitur, perficiatur. Et à calidis exordiemur, mox de frigidis: Siccæ enim & humidæ, inter qualitates, quę in toto corpore intemperiem inæqualem pariunt, minime solent annumerari. Eæ siquidem licet agendi quapiam facultate (sicut prædiximus) præditæ sint, cum tamen id nec uiolenter, nec ocyssimè efficiunt (quod planè earum, quę subitam alterationem faciunt, officium est) pati potius, quàm agere censentur. Et quanquàm siccitas, & humiditas, nonnunquam

quàm in toto corpore inueniantur, hæc nempe in hydrope anasarca, illa uerò in tabe: cùm tamen ex his corpus nõ doleat, inæqualis ipsa intemperies non erit, sed æqualis, ex qua dolor, sicut dixi, non efficitur. Atqui in anasarca membra certe dolent: Id planè ob intemperiẽ non fit, uerùm magis ob tensionem, quam crudi humoris copia in toto corpore supra modum aucta producit. Præterea, ut ad intemperies ipsas curationis scopus facile posit accommodari, quanam diuersitate æqualis ab inæquali discriminetur, scribemus. Quamobrem operæ est pretium scire, inæquali intemperie, corpus ob qualitatem corrumpentem, quæ fortius membris inhærescit, imbecillius factum esse: idcirco alia & alia curationis methodus, in hac quàm in illa, iure seruanda erit. In ea igitur medicamenta, quæ multũ & subitò alterant, quandoquidem uigoris reliquum, quod membro superfuit, facilè digerunt, fugiemus. Quapropter sensim, & suauiter alterandum, summaꝗ; cum prudentia, ex his quæ præcipue alunt, confortandum est corpus. Secus autem inæqualem intemperiem curare oportet, quam ubi ignobilioribus præsertim in membris consederit, omni quidẽ arte, uel medicamento fortiori, ne quod reliquum est à uitio corripiatur, amouemus. Qua de re (ut horum

rum summam colligamus) æquali intemperiei lenia alterantia tantum cõducent. Ad inæqualem uerò præter hæc, eis quæ discutere etiam, & eam amouere possunt, assidue utemur.

Phlegmone igitur, ubi particulam aliquam obsederit, ea ab inæquali tantum intemperie afficietur. Præsertim si phlegmones ipsius sanguis perquàm mitis, modiceq́ calens extiterit. Et is præterea, qui in toto est animalis corpore, à naturali modo non recedet. Hac nanq; ratione sanguis, utpote integer, in adulto præcipuè corpore, iniuriam non facilè admittit. Secus autem in puero: cuius si extrema aliqua pars phlegmone uel mediocri laborauerit, cũ tamen in eo sanguis calidior sit, conflagrationi aptissimus, neq; à phlegmone ob corporis breuitatem cor maxime distat, facilimè quidẽ inæqualis ipsa intemperies per totum corpus possit diuagari. Pathos siquidẽ à forti, & uiolento agente fieri solet: à debili uerò minime.

Ergo si calor sanguinis in particula, quæ phlegmone laborat, mitis est, tum qui in toto animalis est corpore mediocriter attemperatus, non facilè unà cum afflicta particula calefit.

At si inflammatæ particulæ sanguis, ob bilis mixtionem calidior est, & maxime ferueat, & in reliquo corporis, humorum adsit temperies, facili quidem negotio ob maximam in sanguine phlegmones feruorem, aduentitia caliditas, quam inæqualem intemperiem dicimus, in toto animalis corpore decurret. Aeque si tepor in phlegmones sanguine contineatur, &

Sin uel ille feruet uehementius, uel qui per totũ spargitur animal, biliosus est, ilico totus ad calorẽ uertitur.

is in reliquo corpore biliosior sit, utpote plus iusto calidior, & ad comburendum ligni sicci instar, magis idoneus. Idq; etiam eò facilius cõtigerit, si ambo, id est, qui in particula affecta, & in toto animalis corpore sanguis, feruenti admodum consensu coniungentur, & concalescent: cuius caloris ratio, & modus esto. Arteriarum sanguis, qui phlegmone propinquior est, & cæteros humores calore, tenuitate, & spirituum copia excedit, extranei caloris feruorem primò admittit. A quo ad uenarum sanguinem, arteriali planè uiciniorem, iniuriç transitus ocyus decurrit: Qui & ocyssime etiam totius corporis sanguinem supra modum concalefaciet, si inflammata particula, cordi, uel iecori maiori sanguinis copia præditis, fuerit propinqua. Qua ex causa in uniuersum cẽseri oportet, quicquid in corpore calidius est, uel frigidius, ab excedente uel calore, uel frigore alterante, facilius alteratur.

Multò uerò magis sicubi ambo concurrunt, ut & qui in phlegmone habetur, admodum calidus sit, & qui in toto est animante biliosus.

Porrò calefit primũ qui in arterijs est sanguis, quòd scilicet is tum natura calidior, tum uerò magis spirituosus sit: post hunc uerò etiam qui in uenis est. Quòd si in propinquo uisceri, cui plurimus sit sanguis, obsessa phlegmone particula fuerit, iam celerius cum hoc uniuersus, qui in animali est sanguis calore afficitur. Vnoq; uerbo, quicquid ex facili alterabile est, aut calidum natura, id à quouis calefaciente primum excalfit: Non secus & ab eo, quod frigefacit, quicquid facilè alteratu est, uel natura frigidum, id primùm refrigeratur. Ac promptus quidem ad alterandũ spiritus est, ut-

tur. Ob idq́ſpiritus, utpote tenuiſsimus, alterari promptius à calore poteſt. Sed ne, quæ cõmodiſsimè alterãtur, ignoremus, ſcire intereſt, omnium quæ intemperiem parere poſſunt, flauam bilem calidiſsimam eſſe, & pituitam frigidiſsimam. Eaq́ ex cauſa, hæc frigiditatem, illa caliditatem aduentitiam facilè ſuſcipere poteſt. Et quanquàm Galenus de Temperamẽtis libro primo, & pluribus etiam alijs in locis, ſanguinem cæteris humoribus calidiorem eſſe tradiderit, eum tamen cõtraria ſcripſiſſe, haud putes uelim: Calidum enim bifariam ſumitur: Modò nanque purius, ſimpliciusq́ naturale, atq́ impermixtũ, ſicut ignis in propria ſphæra, qui ob tenuitatem, & puritatem ſuam nec comburit, nec alterat: Modo uerò aliqua mixtura præditum, ſicut quando uis illa elementaris in firmiorem ſubſtantiam tranſcẽdit: uerbi gratia: in ferrum, lignum, & id genus. Ferrum enim candens, igne puriore calidius cenſetur, quoniam uehementiorem ſenſum, cum tangitur, imprimit. Non mirum igitur eum autorem in hoc ipſo de Inæquali intemperie libro, ubi cauſam inæqualis intemperiei tantum inueſtigare contendit, flauam bilem omnium humorum calidiſsimam eſſe. Bilis ſiquidem naturalis ex ſpumoſo fit ſanguine, cum magis concoquitur, illaq́, autore Hippocrate libro

pote ex tenuiſsimis conſtans partibus. Calidiſsima naturæ meritò eſt flaua bilis, at frigidiſsima pituita eſt.

de morbis, aliquantulum frigidior est. Quando uerò ex firmiori aliqua substantia permiscetur, non naturalis efficitur, & excrementosa, & ad nutricationem minime idonea. Hacq; ex causa instar candentis ferri calidissima est. Ea autem quando in corpore abundant, & putrescit, febres, abscessus, & his similia, quæ magnæ sunt alterationis, & intemperiei causæ, parit. Sanguis uerò, utpote integer, multo spiritu præditus, uiuificat, & indiuiduum nutrit, atque conseruat. Quapropter Galenus, & Auicenna huius interpres, cùm de naturalis temperamenti causis disputarunt, sanguinem omnium calidiorem iure ipso tradiderunt. Nec de ullo bilis genere, cùm ad membrorum formationem, nullum per se prorsus modum, autore Aristotele, afferat, scripserunt. Spiritus quidem, ob tenuiorē suam substantiā, licet sanguine calidior sit, cùm nulla tandem alendi facultate polleat (ex sanguinis nanq; coctione, in corde generatur) sententiæ planè nostræ minime potest aduersari.

Sed de pituita, quam omnium frigidissimam esse diximus, non minor nobis reseruatur quæstio disputanda. Apparet enim atram bilem pituita frigidiorem esse. Nam Auicenna primo canone frigiditatem pituitam parere scripsit, excellentem uerò frigiditatem atram

atram bilem: quam pituitam cum acescit, ex bilis atræ permixtione fieri certissimum est. Acida autem pituita cùm omnium scriptorũ confessione naturali frigidior sit, eum qualitatis excessum ab atra bili esse oportet. Accessiones item quartanæ, quæ à naturali melancholia efficiuntur, horrores & frigora, membrorumque fractiones, longè maiores habent, quàm febres quotidianæ, quæ à naturali fiunt pituita. Ex atra igitur bile, tum morbi, tum symptomata frigidiora oriri iure contendunt. Quod planè ex multis uerum non est. Nam cibaria primò quæ pituitam pariunt frigidiora sunt, quàm quæ melancholiam. Hæc nanque ex ferorum animalium, & leguminum esitatione in corporibus plurimum abundat: Illa ex blito, lactuca, atriplice, cucurbita, piscibus. Debilis præterea calor pituitam efficit: bilem uerò atram naturalẽ temperatus. Morbi præter hæc frigidiores à pituita nascuntur, nempe apoplexia, neruorum resolutio, stupor, lethargus: Ex atra bile elephantiasis, scirrhus, uarices. Quamobrem in pituita maiorem esse frigiditatem dicemus, quàm in bile atra. Nec nos febris quartanæ horrores, & frigora, quæ in accessionum principio nonnunquam maiora animaduertuntur, à proposito amouere possunt: Frigus quippe purum, solidumque magis

apparet in cotidiana febre, quæ à naturali pituita perficitur, diuturniusque affligit. Hoc nanque experientia, & grauissimorum scriptorum autoritas attestantur, qui hæc eadem quàm sæpissime etiam scriptitarunt. At in quartana horror, membrorum concussio, & dentium stridor, non ob materiæ tantum frigiditatem eueniunt, sed ex atræ bilis potius grauitate, acrimonia, & nigricante colore: quem certè natura maximè horret, & formidat: Ob idque cùm mouetur bilis ipsa, natiui caloris attractio maior fit ad corporis alta: Ex qua exteriores partes calore ipso maxime destituuntur, & debilitantur, propter quod ab humoris pondere, & horriditate oppressæ, facilius tremunt. Tremor siquidem inter alias eius causas, à maiori onere, quàm sit ex usu particulæ, nonnunquam accidit: sicut in illis facilè est uidere, quibus ob oneris grauitatem crura frequentissime labant. Propterea, quibus præcipitij alicuius transitus, aut specus, seu horribilis feræ aspectus ex improuiso contigerit, ocyus etiam ob timorem tremunt. Causa est quidem, caloris & spirituum ad intima corporis, & cordis, tanquam ad uitæ propugnaculum concursus, ex quo exteriora à uigore facilè destituuntur. Et quanquàm Auicenna excellentem frigiditatem melancholiam

liam parere ſcribat, id tamen, ut in iecino-
re perficiatur, ubi omnes humorum ſpecies
ſuapte natura gignuntur, ueriſimile non eſt.
Nam quicquid ex cibo ad ipſum alendi gra-
tia tranſmitteretur, concoctioni contumax eſ-
ſet: Exq; eo breui tempore animal ad interi-
tum properaret. Vnde ſcire oportet bilem a-
tram in uenis fieri, à calore ſcilicet temperato
concoquente: & eo quod in ſanguine craſsius
eſt, miro naturæ artificio excernente. Diſpo-
nendo præterea, & efficiendo, excedens frigi-
ditas bilem atram excrementoſam, non na-
turalem effingere poteſt: ubi ex craſſo ſan-
guine, & craſsiori pituita, quod ſubtilius eſt
exprimatur, & humidius concraſſeſcat: Hęcq;
ipſa pituita eſt, quam Auicenna excellentem
frigiditatem gignere conſcripſit. Sed quæ de
acida pituita obijciuntur, uera non ſunt. Na-
turalis ſiquidem pituita, quæ ſapore inſipi-
diſsima, omnibus certe humoribus frigidior
eſt; quæ etſi ex atræ bilis mixtura aceſcat, &
plus iuſto frigida ſit, id planè bilis atræ quali-
tas frigida, remiſsiorq; efficere non poteſt. Mi-
nus enim frigidum, cum frigidiori permixtũ,
quando propriam naturam conſeruat, Galeno
autore, intenſiorem qualitatem augere non po
teſt, ſed potius remittere. Verum cùm ex mi-
xtura ipſa frigiditas maior exoriatur, ex mu-

tua earum potius alteratione, & corruptione fieri necesse est. Quandoquidem mixtionis forma, si qualitatum altera, ad ualidiorem corruptionem perducit, tunc eorum contraria qualitas superans in commixto intensiori planè gradu, quàm primo fuerat, pollebit. Verbi causa: in alicuius medicamēti cōpositione ex ipsa simplicium mixtura resultat nōnunquam noua, uel certè intensior qualitas, quæ primo in nullo compositorū ordine facilè reperiebatur. Id autem ex ui illa fermētationis, quæ generationis, & corruptionis exemplo fieri solet, emanare necesse est. Quod cùm demōstratione aliqua probari non possit, sicut testatur Auicenna de uiribus cordis, experientia tamen uidemus in mixtis ipsis, qualitatem, ab eis, quæ cōpositionem ipsam effecêre, longè diuersam esse. Aciditas præterea pituitæ naturali, absque ulla permixtione etiam accidere potest: nempe cùm aliqua ex causa alterari & corrumpi contigerit: Et ob id frigiditatem etiam maiorem nanciscetur, sicut in fœminarū genitura, in uteri scilicet strāgulatione, suffocatione'ue, quæ ubi corrumpitur (quod quidem frequentissimè accidit) eā Galenus de locis affectis sexto, excellētioris esse frigiditatis memorię prodidit. Iure igitur dicemus flauā bilē, quę à natura discedit, sanguine calidiorē esse; Contrà sanguinem

guinem calidiorem, si ambo naturalem statum conseruabunt. Similis aderit ratio, in pituita naturali, quam cæteris humoribus etiam frigidiorem esse dicemus.

Reliquorum humorũ sanguis post flauam bilem maximè est calidus, sicut nigrabilis post pituitã est frigida. Quin etiam alteratur flaua bilis leui mométo, ex quouis in eam agente: nigra ægrè alterascit. In summa, quicquid tenuium est partium, id promptè alteratur: contrà cui craßæ sunt partes, ægrè. Ita necesse est multifariæ phlegmonis alterationes incidant, propterea quòd multifariã affecta sunt corpora. Principio nãq; succus qui phlegmonen excitat magis magis'ue calidus est: deinde succi putrefactio pro ipsius natura respondet, non minimum certè, prout is magis minus'ue est impactus: quippe quæ perspiratu carét, celerius putrescunt, ueluti & in externis accidit omnibus. Cæterum cùm calida temperie sunt, & humida, tum utique potißimum.

A' bile ipsa sanguis in caliditate proximus erit, & à pituita bilis atra frigidior. Bilis siquidē flaua, cum tenuium sit partium, celerius calescit, & alteratur: Cōtrà melancholia, crasšioris utpote substantiæ, tardius. Quamobrem in tanta humorum uarietate, phlegmonen pro eorum ratione multifariè corpora uexare, & dolorem adferre, seu ad resolutionē procedere necesse est. Quam phlegmonen, si bilis flaua, id est, si bilis ipsius copia cum sanguine excitauerit, alteratio, febris, intemperies, dolor'ue maior cōsequetur: Cùm pituita uerò, & bilis atra, inflammationis modus, pro eorum natura, plus minus'ue excãdescet, & dolores efficiet. Et hæ sunt intemperies, ab humorũ qualitatibus exortę. At si eorum substãtia putrescet,

uaria quidem ratione, pro impactæ materiæ modo etiam nocebit, uel resoluetur. Quæ si calidæ, & humidæ naturæ extiterit, & quapiam etiam in parte maxime coarctetur, & perspiratione carebit, facilime putrescet. Contrà ubi frigidior fuerit putrescẽs materia, & perspirationẽ habuerit, ignis exemplo, qui ubi perspiratu carebit, magis offendet: liberiori uerò in loco, minus.

Iam ipsa phlegmone laborans particula, uel propè, uel longè sita est à multi sanguinis uisceribus, totusq; sanguis uel biliosus est, uel melancholicus, uel pituitosus, uel spiritu osus, atque hæc omnia magis minusq;. Quare necesse est multiformes fieri alterationes, siue alterum alteri sit collatum, siue idem sibi.

At si phlegmone uisceribus multo sanguine pręditis, utpote cordi & iecinori, proxima consederit, & reliquum sanguinis in corpore biliosius fuerit, melancholicum'ue, uel pituitosum, aut frequenti spiritu refertum, pro eorum humorum qualitate, modo, ratione, & quantitate, multiformes fieri resolutiones, uel alterationes, intemperies'ue, aut affectus, sicut prædiximus, oportet, siue abscessus his alter alteri, siue idem sibi comparetur. Gratia exempli: si sanguineus pituitoso, uel melancholico comparetur,

tur, uel ſanguineus ſanguineo. Qua ex cauſa in his tum uelocior, tum tardior, pro eorũ cauſa, utpote efficaciore, uel imbecilliori, alteratio, intemperies, affectus, reſolutio, & dolor, qui in eis cõtigerit, eueniet. Has itaque omnes inæquales corporis intemperies, tum à ſola qualitate, tum à ſubſtãtia putrida, ſicut prædiximus, exortas apertiſsimè aſſequemur, ubi ſanguis naturalis, qui in phlegmone uerſatur, ob uiolentã coarctationem, & ebullitionem, ſummopere excandeſcet, & inflãmabitur. Cuius cauſa, naturalis etiã ſanguis, qui eſt in corde ſecũdo loco pari noxa tentabitur. Et id quàm maxime etiã eueniet, ſi is, quem ſiniſter cordis uentriculus habet, feruores ipſos admittet. Quod planè haud mirum uideri debet: quippe cum cor ipſum ſiniſtram partem, ob ſanguinis multi ſpiritus copiam, calidiorem habeat: Quod facilè experientia uideri licebit, ſi latere ſiniſtro animalis adhuc

Fiunt hæ omnes inæquales corporis intemperies, maximè quidem inflammato eo, qui in phlegmone eſt ſanguine: deinde eo qui in uiſceribus habetur & corde, atque huius maxime eo qui in ſiniſtro eius ſinu eſt. In quem (ſicut in opere de uſurpandis manu diſſectionibus eſt dictũ) ſi uiuo etiam animante, nec adhuc febre tentato, dimittere digitum uelis, uehementiſsimum deprehendes calorem. Quo magis ucriſimile eſt, ubi totũ corpus præter naturam incaleſcit, hũc maximè ſinum ad ſummã peruenire caloris: quippe cùm tenuiſsimum, maximeq́; ſpirituoſum ſanguinem habeat, ac moueatur perpetuò.

adhuc uiuentis, quod nec febre tentetur, digitus admoueatur (id quidem in diſſectionũ libris planiſsime apparet) Quamobrem haud abſque ratione uſu uenire uidemus, dum corpus ultra naturæ modum, ſicut in putrida febre, concaleſcit, hanc ſiniſtrã cordis partem, ad extremam caloris conditionẽ deuenire: quippe qui multi ſpiritus ſanguinem redundantem habeat, & perpetua agitatione moueatur. Hacq́ ex cauſa, plerique febrem ipſam proprium primariũ cordis affectum eſſe prodidere; ex quo ad omnẽ corporis partem, noxa perquàm facilè decurrere perſpiciatur.

Cæterum in febribus id genus omnibus calefit quidem ſanguis aliquando uniuerſus, quicunq; nõ naturalem illum calorem, qui ex humoris putreſcentia eſt obortus, concepit: non tamen aut arteriarũ, uenarum'ue tunicæ, aut aliud ullum circũiacentium corporum prorſus iam tẽperamentum ſuum mutauit: ſed adhuc mutatur, atq; alteratur incaleſcens, ſiue (ut ſic loquar) caleſiens. Quod longiore tẽpore hoc patitur, etiã uincetur aliquando, prorſusq; mutabitur, ita ut nõ amplius calefiat, ſed iam ſit præter naturam calefactum.

In qua febre ob putredinis calorem totus nonnunquam animalis ſanguis, abſque alio uenarum, arteriarum, cæterarumq́ ſolidarum partium affectu, atque alteratione caleſcit. Hæc ſiquidem ſolidiora, durioraq́, & facultatis natiuæ, qua iniuriæ maximè propelluntur, fortiora, putredinem, calorem'ue extraneum haud

haud facilè recipiunt: ille uerò, utpote putredinis ipsius suscipiẽdæ promptissimus, perquàm facilè. Verùm ubi putrescẽs ille calor plus iusto procedit, in partium functiones, & substantiam usque eò debacchatur, ut eæ non calefieri tantum, sed ex toto calefacta esse perspiciãtur. Cuius alterationis rationem, & modum medico sanè notissimum esse oportet. Quem modum læsio operationis particulæ, manifestissimè ostendet: Qui omniũ prorsus alterationum præternaturalium terminus esse uidetur. Alteratio igitur ipsa, à phlegmone planè exorta, ubi primùm inceperit, duos qualitatis motus contrarios in particulam parit: Alter siquidem ab exteriore, & extraneo calore, alter uerò ab interiore, & naturali exordietur. In quorũ motuum latitudine proportio quædam omnino seruanda est. Ea quidem in primis, quæ ab alterationis principio initium facit, id est, quæ extrinsecus occursat, ad mediam usque eorũ motuum latitudinẽ, minor semper existet. A quo medio, usq; adeò sensim prosequetur, ut ab ea naturalis corporis facultas ex toto corrumpatur. Contrà, membri natiua uirtus, & facultas, ubi primùm ab aduentitio calore corripietur, maiori semper proportione ad medium uigebit: Propter quod paulatim superata, ad omnimodam tandem transmutationem deueniet.

Porro terminus mutationis est cuiusque particulæ functionis læsio. Ad quem usque terminum omnis alterationis latitudo uia est in id quod præter naturam est, ueluti mixtum cõmuneq;, ac mediũ quiddam ex contrarijs utrisq; compositum, ipso naturali prīus affectu & eo qui iã planè est cõtra naturã.

Vnde

Vnde perpulchrè certè uidere erit, duorum motuum contrariorum congressum, aduentitij utpote caloris, & naturalis. Hic siquidem resistendo plurimum laborat, alter uerò noxam inferendo contendit. Ex quo dolorem, si quando superior euadit, pro alterationis modo, & quantitate ad proportionem respondentem perpetuò afferet, donec animalis habitus, & solidiores partes, succi, & spiritus expertes, exactè concalescent. Tunc enim corpus totum indolens erit, & ab æquali intemperie tentabitur. Ea siquidem febris est hectica, à qua sicut ab initio disseruimus, dolor non est. Hacq; ex causa, qui ab ea febre afficiuntur, usquequaque calfacti, nequaquam se febrire cognoscunt. Quod quidem dubitatione inter morosos carere non debet: qui cum hecticos à cibo maiore agitari calore perspiciant, febrem ipsam non æqualem modum seruare contendunt. Praeterea

Ergo toto hoc tempore corpus incalescens pro modo alterationis etiam ad portionem sentit dolorem. Quum uerò omnes corporis solidæ particulæ excalfactæ ad absolutionem iam sunt, eiusmodi febrem hecticam Græci uocant, ceu non amplius iam in humoribus & spiritu, sed in corporibus ijs quæ habitus rationem habent, cõprehensam. Hæc doloris est expers, putantq; qui ea febricitant, omnino se febre carere: neque enim sentiunt eius calorem, omnibus scilicet eorum partibus æquè percalfactis.

Sed & conuenit de his inter naturalis scientiæ professores in his quæ de sensibus produnt. Neque enim citra alterationem est sensus, neq; in ijs quæ iam ad perfectio-

terea cum solidæ partes, quæ ex hectica præcipuè corripiuntur, uariæ sint naturæ, aut uaria etiam ratione à calore tententur, necesse est: Caro siquidē promptius, quàm neruus & chartilago, hæcq́ue citius quàm ossa, calorem recipiunt. Igitur ab hecticæ calore æqualis intemperies, in uniuerso corpore minime consequetur.

Iis respondere oportet, hectici calorem à cibo, non febris ratione, sed cibi potius, & potionis esse: quæ ubi primùm ingesta sunt, humoris instar, qui in calcem diffunditur, membrorum caliditate conferuescunt. Hectico nanque complura accidere possunt, quæ eius calorem adaugent, quæ tamen febris esse minime censentur, sed eorum quæ foris admouentur. Ad hæc febris hecticæ calor, quanquàm uniformiter, & ea propè ratione per omnes animalis partes non decurrat (nam rariora corpora, & calidiora, sicut caro & musculi,

nem sunt alterata, dolor. Itaq; etiam hecticæ febres omnes, tum sine dolore sunt, tum nec sensu ab ijs, qui ipsis laborant, perceptæ. Non enim ex eorum particulis hæc agit, hæc patitur: quum omnes inter se iā similes sint redditæ, ac unicam habeant consentientem temperiem. Quòd si alia earum calidior est, alia frigidior, at certè eatenus est frigidior, ut uicinam nihil offendat: alioqui sic scilicet partes quæ pro naturæ modo se habent, mutuò se offenderent: utpote quæ sic saltem temperamentis dissideant: caro nanq; calida particula est, os frigidum.

ſculi,magis caliditati patent,quàm oſſa & nerui,quæ frigidiora & duriora ſunt) tamen ea ita ad proportionem, & tam æqua menſura ſenſim alterantur, ut medicus iure ipſo, æqualem iam calorem in hectico adeſſe fateatur. Quem calorem, licet membra ea ratione, quam ſuprà recenſui, non admittant (aliæ enim propagines,aliæ calori ſunt diſtantiores, & magis una quàm altera uexatur) calor tamen ipſe æqualiter,& ſenſim omnes prædictas partes informat: Solis certè exemplo, cuius lumine, omnes cœli partes, in quibus nulla prorſus adeſt reſiſtentia, non æqualiter illuſtrantur: Propinquiores enim plus, diſtantiores uerò minus,ſplendore luminis irradiantur. A' fortiori igitur in homine, in quo tam magna membrorum ineſt diuerſitas, neceſſe eſt, ut ex eorum parte difformis illa caloris extranei ſuſcipiendi ratio maximè appareat. Ob id tamen non repugnat, æqualem illam alterationem in hectica ex parte caloris in membris ipſis eſſe, quæ ſenſim, æqualiter, ſine manifeſto dolore, & inſenſibiliter uſque eò procedat, donec particulæ functiones exactiſsimè ſuperentur. Et hæc Ariſtotelis etiam ſecundo de Anima, & omnium planè ſcriptorum conſenſu, qui de ſenſibus ſcriptitarunt, recepta uidetur, aſſeuerantium ſenſilia omnia in alteratione eſſe.

Paſsio

Paſsio ſiquidem ad alterationem ipſam neceſ-ſariò ſequitur. Quamobrem iure ipſo teſtari licebit, in perfecta alteratione, ſicut in omni febri hectica dolorem non eſſe, eumq; ab his, qui ea afficiuntur, minime ſentiri. In quibus, cum omnia iam æqualia, & unius tantum temperaturæ ſint, ridiculum futurum arbitror exiſtimare, partium alteram agere, & alteram pati. Quarum quanquàm alia calidior, alia frigidior uerè eſſe cenſeatur, qualitates tamen ipſæ, in tantum caloris & frigoris elatæ eſſe non putantur, ut earum cauſa proximiores partes in uitio eſſe uideantur. Aliter enim ſequeretur, particulas, diuerſæ tamen naturæ in homine, quæ naturalem ſtatum conſeruant, alioqui ſibi inuicem moleſtas eſſe. Caro ſiquidem, licet calida ſit, os uerò frigidum, cum tamen in calore & frigore mediocritatem habeant, mutuo dolore non afficientur. Eadem quoque ratione, cæteræ animalis partes, ſicut neruus, membrana, muſculus, uena, & id genus, licet inter ſe diuerſæ ſint naturæ, inæqualitas tamen ipſa cum indolentia erit. Muſculi enim calor, membranæ frigiditatem non alterat, quoniam earum partium qualitas in ſummo gradu non eſt. Et cùm ab extremis & caloris, & frigoris gradi-

bus, aliorum etiam graduum nu merositas in medio sit, ab his quidem pro eorum ratione nulla corporibus alteratio consequetur. Verbi causa: Calor ut octo, & frigus eo in gradu, extremi profecto erunt & frigoris, & caloris gradus, in quibus alteratio, & dolor esse censetur.

Ab his quicquid uel caloris, & frigoris erit in medio, siue is septimus sit gradus, uel sextus, quartus´ue, eos certè sine dolore sentiemus. Id nanque manifesto exemplo ex ambienti cœli statu uidemus, qui nisi ad immodicum uel calorem, uel frigus accesserit, omni prorsus carere molestia apparet. Propter quod, quæ à non satis laudato Hippocrate libro de Natura hu mana prodita sunt, à uero non aliena esse arbitramur: Qui morbos omnes, qui dolorem afferũt, ulcera esse conscripsit. Vlcus enim unitatis diuisio est. Quapropter perquàm rectè excedẽtem

Cæterùm tam harum partium, quàm reliquarum omnium indolens inæqualitas est, modi excessus merito. Sic nanque nec aër, qui nos ambit, prius offendit, quàm ad immodicum calorẽ frigus´ue est immutatus. Cuius alioqui quæ in medio sunt differentias, tametsi numerosas, ac ma nifestum excessum inter se ha bentes, citra noxam sentimus. Ex his ergo fortasse nec illud durius dici uideatur, quod Hippocrates alicubi ait, Omnem morbũ ulcus esse. Quippe ulcus unitatis est diuisio. Immodicus uerò calor ac frigus proximè accedũt, ut unitatem soluant: plurimus qui-

tem calorem & frigus, continuum separare dicemus, & dolorē inferre: Hoc nanque coarctando, stringendo, exprimendo'ue: alter uerò diuidendo, & intersecando. Nec quempiam à uero declinare arbitrarer, si qualitates ipsas nocendi terminum, in earundem tantum excessu esse contenderet: qui excessus siue ab uno, siue ab altero qualitatis termino esse censeatur, is tamen, ut ad aliquid, id est, alicuius subiecti comparatione cōtingat, necesse est: Excedens nanque ille caloris, & frigoris terminus, qui dolet, uniformis perpetuò non est, sed ex subiecti uarietate, nōnunquam uariari oportet. Nam pituitosi, utpote temperamenti frigidioris, non æquè ac biliosi, ab excedente illo calore corripiuntur. Hi siquidem à calore citius uexabuntur, illi uerò tardius. Quamobrem complura in animalibus inueniri possunt, quæ licet ob eorum uniformem

dem calor, dum segregat ac diuidit substantiæ continuitatem: summum uerò frigus tum stipando, tum introrsus pariter trudendo, quædam exprimit, quædam quassat.

Atque hunc quispiam immodici caloris & frigoris terminum statuens, fortasse non incommodè sentiat. Seu uerò is, siue alius immodici excessus terminus est, certè consistere omnem immoderatū excessum in habitudine ad aliquid, iam liquet. Non enim pari ratione à calidis, frigidisq; afficitur omne corpus.

Indeq; fit, ut aliqua animalium conuenientes inter se succos habeant, aliqua nō so=

lum non conuenientes, sed etiam qui se mutuò corrũpant, uelut homo atq; uipera, quorum utriusq; saliua alteri est pernicies. Ita utique et scorpiũ necaueris, si ieiunus illi inspueris.

At nõ homo hominem morsu interemit, nec uipera uiperã, nec aspis aspidem.

uel caliditatem, uel frigiditatem, sibi ipsis familiarissima, nulliusq; nocumenti sint: alteri tamen, utpote generis diuersi, perniciosissima erunt. exempli gratia: hominis saliua homini non nocet, uiperam tamen & scorpionem ubi inspuuntur, cœlesti quadam & occulta uirtute occidit. Contrà uipera ab alterius uiperæ morsu non perimitur: si uerò hominem momorderit, eum ex humore illo uenefico, quem maiores dentes habent, inficiet, & tandem iugulabit. Aequè de scorpione sentimus, cui hominis ieiuni saliua etiam mors est. Homo nanque sanus hominem morsu non interficit, neque uipera uiperam, & draco draconem.

Sed liceat rogo in his exẽplis mihi aliquantisper addubitare. Quæ certè, cùm hîc de qualitatibus tantùm, quæ apertissimè offendunt, sit pertractandum, intempestiua esse non uidentur. Humor siquidẽ ille pestilens, & perniciosus ex feris ipsis, quod frigidus calidus'ue sit, aut humens, uel siccus, minime nocet. Verùm ex uirtute quadam potius (ut aiunt) specifica, qua à stellis animalia ipsa proprietate quadam cœlesti, & occulta informãtur. Quam formam, cùm & Galenus ipse suis in monumentis concedat, dicemus proposita exempla similitudinis tantum gratia adducta esse. Non enim

enim diuersa alia ratione, uis illa cœlestis, ali=
ter & aliter in hoc magis, ac illud corpus im=
pressionem facit, nisi quoniam alia & alia pro=
pè ratione, corpora ipsa ad eam recipiendam
proniora esse arbitrantur. Hac etiam ex causa,
à termino illo caloris & frigoris, quem suprà
dolere disserui, alio modo hoc quàm illud cor=
pus, pro naturæ suæ ratione affici solet. Simi=
litudinis igitur gratia haud inepte de feris e=
xempla à Galeno nunc prodita sunt. Qua=
propter meritò existimandum similia amica
esse & congrua; naturæ uerò, & facultatis
contraria, sicut homo & uipera, inimica atque
molesta. Vnde nimirum hominibus nutrica=
tio & alimentum à similibus fieri existimatur;
Pernicies uerò, & mors à contrarijs. Proinde
bonam corporis ualetudinem ex similibus e=
tiam conseruare oportet, & aduersam ex con=
trarijs profligare. Sed cum de his disputare
alterius sit negotij, ad febres hecticas, unde
digressi sumus redeamus; De cuius planè ca=
lore suprà fuse disputatum est; qui membris
usque adeò inhæret, & est familiaris, ut nec
dolorem pariat, nec ab ægrotante percipiatur.
Cæteræ uerò febres, quæ ex humorum pu=
tredine fiunt, quandoquidem in continua al=
teratione uersantur, inæqualem intemperiem
cum dolore adducunt, & aliæ quidem maio=

Siquidem quod simile est, id cōgru=um, amicūq; est: quod contrarium est, inimicum ac noxium. Au=getur enim quidq; ac nu=tritur à simi=libus, perimi=tur ac corrū=pitur à dissi=milibus. Itaq; etiam sanita=tis tutela per similia perfi=citur: morbo=rum sublatio per contra=

ria. Verũ de his alius eſt ſermo. Hecti-cam uerò febrem, quæ iã habitum corporis occupauit, minime ſentit, qui ea laborat. Reliquarum febrium nulla eſt, quæ nõ à laborãte ſentiatur: ſed aliæ magis, aliæ minus ægrotãti ſunt graues.

rem, & aliæ minorem. Qua ex cauſa, de febrium calore non parua nobis exoritur dubitatio, uter hecticæ maior ne ſit, an putridæ, aut contrà. In utranque nanque partem grauiſsimos ſcriptores plerunque hæſitare uideo: quorum placita, ne actam rem agere uideamur, & opus noſtrum in immenſum uolumen etiam creſcat, non percenſebo, & à moroſis his diſputationibus conſultò me abſtinebo: ratus ſiquidem nobis operæpretium eſſe Galeni mentem dilucidiori, quoad fieri poterit, oratione explicare: & cum eo, cæteriſq́; qui ſecuta ætate eius diſciplinam excoluerunt, ſentire: Febris ſcilicet hecticæ calorem intenſiori gradu (nempe quarto, ultra quem terminus non eſt) ægrotantem affligere. Et quanquàm in febre ardente, quam καύσονα Græci appellant, calor ad tactum maior eſſe uideatur, ultra tamen tertium gradum, niſi ad hecticam progrediatur, procedere non poteſt. Doloris igitur cauſa hecticæ omnes febres, à putridis diſcriminantur: Quarum nonnullis ſicut tertianis, & quartanis horror ineſt, nonnullis uerò minimè. Quorum ſymptomatum cauſæ, cum libro de Symptomatum cauſis, diffuſiſsime ſint deſcriptæ, inæqualis intemperiei differentias, quæ in febribus fiunt, perſequemur. Superius

Sunt ex iјs et quæ rigorem ingerãt: fit enim id quoq; ſymptoma, uelut i alia multa, ab inæquali

rius nanque qua ex causa, ex alicuius particulæ phlegmone febris, & inæqualis ipsa intemperies in toto animalis corpore fiat, cōmodè exposuimus. In præsentia uerò, cùm febres ipsæ, ex sola humorū putrefactione tum in uenis, tum extra uenas effici possint, locus admonet, ut de eis etiam disseramus. Desidia igitur, ocium, intēpestiuus & multiplex cibus, uaria & liberalior potio, cæteraque quæ ex causis euidentibus (non naturales appellant) emergunt, ubi iustum modum excesserint, cruditatem, & sanguinis, & cæterorum humorum inutilium plenitudinem, & copiam, corporibus parere solent: Qui humores, cùm aliqua ex causa tum interna, tum externa, alterationem susceperint, calorem extraneum consequentur: cuius causa supra modum calefacti, facilè putrescunt. Hi siquidem, cum ob cutis meatus, & uenarum obstructiones, uel excrementorum copia, uel quapiam

intemperie. Rationem tamen generandi eius in proposito libro tradere non est, prius quàm de naturalibus facultatibus demonstratū fuerit, quot hæ, qualesq; sint, tum quid agere quæq; sit nata: uerùm in libris de Symptomatū causis de omnibus agetur. Sed reuertor ad inæqualis intemperamenti differentias. Nam quēadmodū ex phlegmone febris nascatur, tum quòd febris omnis ac phlegmone omnis, præter hecticas, ex morbis sint, quibus inæqualis sit intemperies, dictū iam est. Porrò accendi febrem & citra phlegmonen ex solis humoribus putrescentibus licet.

Neq; enim ea solùm quæ inculcata sunt, & perspiratu prohibita, putrescunt, uerùm celeriter ea, maximeq;: cæterū putrescunt & alia multa, quæ putredini sunt opportuna. Dicetur uerò de horum opportunitate alio loco.

Iam alio quoque genere inæqualis oriri intempe-

ries in toto corpore potest, modò fuliginoso uapore detento.

piam alia ex causa factas, perspiratione caruerint, ex horum feruore putrida fuligo, seu uapor subleuatus, cor maxime infestabunt: Vnde necessariò febris putrida exorietur: Quæ si ex sola fuerit sanguinis ebullitione, seu putrefactione, synochã febrem efficiet, ex bile flaua tertianam, ex pituita naturali cotidianam, ex atra uerò bili, quartanã. Et hæ certè febres aderunt, dum humores ipsi simplices, & naturales putrefactionem nanciscentur. At si uel ob extranei caloris uehementiam, uel alia ex causa comburentur, uel adinuicem permiscebuntur, pro humoris dominantis ratione, aliam & aliam febris speciem producent. De quarum differentia, cùm diuersis in locis Galenus fusissimè tractauerit, superuacaneum esse opinor, de eis in præsentia disputare. Satis nanque mihi persuasum esse puto explicare, nullum febris genus esse, quod uel in ipso cordis corpore, uel in hu

in humoribus, uel in spiritu non cõsistat: hanc ephemeram, ex humorum putredine putridam: aliam uerò, quę quę cordis sunt, depascit, hecticam appellant. Quæ febres, quanquam ex uarijs causis, sicut diximus, euenire posʃint, earum tamẽ nulla est, quæ uel primaria affectione, uel per consensum, cor ipsum non afficiat: Ex consensu siquidem, ubi à putrida fuligine, ex putrescente humore attollitur, & cor maxime tentatur: Primaria uerò affectione, cùm humor in corde ipso, sicut in pestilentibus febribus putrescit: Proinde nec putridam febrem fieri perspicuum est, absque cutis & uenarum obstructione, per cuius foramina perspirationes, & transpirationes continenter efficiuntur. Obstructio siquidem in cute, ex ambientis aëris frigore, ex balneis astringentibus, quales sunt Albulæ aquæ in agro Romano, aluminis naturam habentes, & ferream, & id genus alijs, fieri solet: & ab humorum etiam copia & lentore, in uenarum oris impacta: Quæ obstructio Aristotele autore uehementior sanè est putredinis causa. Ex qua humorum copia, & cruditas, quæ corporibus inest, perflatu, & perspiratione caret: Vnde ebullit, & extraneum calorem, à quo putredo incipit, acquirit.

Modò exercitationibus & plusculis laboribus calore adducto: modò ab ira, cùm sanguis immoderatius feruet: modò ex deustione quauis externa incalescit. Porrò quòd etiam in his omnibus febribus non secus, quàm in phlegmonis suprà est dictum, tum pro uiribus affectricis causæ, tum pro corporis ipsius affectu, alij magis febricitent, alij minus, alij haudquaquam, apertum esse arbitror.

Ex ira præterea (quæ est ueluti feruor quidam, ac uehemens motus potentiæ irascibilis, in ipso cordis corpore sita) & exercitatione intempestiua, & ambientis etiam uel calore, uel frigore, animi denique agitatione, & assiduo, continentique studio, præsertim ubi obstructio, & excrementorũ copia in corporibus fuerit, febres tum maiores, tum minores pro efficiẽtis causæ ratione, quæ sunt humores, & membrorum affectione, & natura accenduntur. Nam ex bile putrefacta intensior planè febris gignitur, quàm ex pituita, & atra bili. Et longè maior etiam exorietur, si putredinis species in iecinore, aut cordi propinquiore loco uigebit.

Aequè uerò & quòd intemperies ipsa nonnunquam spirituosam tantùm inuadit substantiam, nonnunquam ipsos etiam succos, clarum id quoque reor. Sed nec minus illud, quòd omnibus huiusmodi febribus si traxerint, he-

Ex qua putredine spiritus tantum nonnunquam solent calefieri, & febrem ephimeram excitare: At si spiritus & humores simul, quod in putredinis febribus perpetuum est, putridam efficiũt. Verum huius caloris processus

cessus, ad solidas aliquando partes debacchatur, & hecticam febrem, hoc est, habitudinalem producit. Quamobrem ex his omnibus inæqualem istam intemperiẽ fieri clarissime apparet. Nonnunquàm uerò ex solo qualitatis affectu, siue materia cõtingit: quando scilicet corpori ab ambiẽte, uel ab ira, intempestiua'ue aliqua exercitatione, aut alia causa exteriore, sicut antè diximus, uel rigere, uel calfieri contigerit. Ex quibus symptomatibus, cũ humorum plenitudo, & obstructiones in corpore abundabunt, putridæ febres, dolores, & inæqualis demum ipsa intemperies dubio procul eueniẽt. Quarum febrium hæc est ratio. Ex putrida materia utcunque fuerit, siue ex inflammatione, siue ex uenis, fuligo quędam, uapor'ue ab extraneo quidem calore inflammatus, successiue, id est, pars post partem, ad cor attollitur. Qui suo calore aduentitio, naturalem cordis calorem, utpote temperatum,

ctica superueniet. Iamq; sermo noster propemodũ ostendit, inæqualem hanc intemperiem aliquando ex calida, frigida'ue substantia, quæ in particulam aliquam influat, accidere: ueluti in his fiebat, quos phlegmone infestat. Sæpe non ita, sed ipsa corporis temperie in qualitate mutata: tum quòd alternantium eam quædam ortum habeant ab ipso corpore, quædam extrinsecus, utique cùm ex putredine tantùm aliqua, uel phlegmone excitatur febris, ab ipso corpore: cum ab ustione, uel exercitatione, extrinsecus.

ratum, in igneam naturam conuertit. Ex quo omnes postea animalis partes, & operationes, per uenas & arterias maximè læduntur. Ex his planè constat, quamnam Galenus mentem de febribus habuerit: Calorem scilicet naturalem eum esse, qui ab extraneo uapore affectus, uenis & arterijs mediantibus, ad totum denique corpus distribuitur, eiusque solitas, & naturales operationes, pro maiori parte lædit. Nec ad sexcentas alias febrium opiniones accedimus: De quibus recentiores morose nimis, & licentiosissimè suis in monumentis disputarunt. Eas etenim, cùm parum nobis utilitatis, in hac nostra paraphrasi allaturas speremus, sophistis & feriatis extricanda relinquemus. Si quis uerò de eis plenissimam, & uerissimam uoluerit scientiam, Galeni libros de Morborum causis, & de Febrium differentijs accuratissime legat. In quibus, non solum eas, sed quemadmodum à solis deustionibus, alterata corporis temperatura, nonnunquam febres, de quibus suprà disseruimus, accenduntur, facilè pernoscet. Item ex gelu etiam durissimo eas effici posse uidebit. De quibus, ut illam etiam inæqualis intemperiei partem, quæ ex contrarijs qualitatibus perficitur, explicemus (hactenus enim de ea solùm, quæ ex calore, & sine contrarietate gignitur, disserui)

Dicetur autem et de his fusius in morborum causis. tanquam autē ex deustione accēditur febris, alterato uidelicet corporis temperamento.

ſerui) tempeſtiuum eſſe arbitror diſputare. Conſtat nanque ex uehementi frigore mortem plerunque, nedum febres eueniſſe. Nam his, qui per Alpes, duriſſima in hyeme uel uenantur, uel equitant, artus omnes, manus præſertim, & pedes, utpote natiuo calore, ob magnam à caloris fonte diſtantiam, magis deſtituti, & ſenſu maxime præditi, frigore ingenti tentantur: maiorique dubio procul dolore his præcipuè extremis partibus agitarentur, ſi ad ignem calefaciendi gratia repentè contenderent. Nam cùm meridiano ſole clarius apparet, dolorem eum ab inæquali illa intemperie, quæ cum contrarietate procedit, emanare, cur plerique dolorem craſsioris inteſtini, quod κῶλον appellant, & uentriculi, & dentium, nonnullarumque partium, nonnunquam abſque inflammatione fieri poſſe admirari, & hæſitare debeant, ignoro: Cùm neque ſit dictu mirabile

Itidem nonnulli ſæpe ex frigore refrigerati toto corpore uehementer ſunt: aliqui uerò etiam perierunt. Iam quòd hi omnes etiam doleant, ne id quidem latet. Porrò dolent & qui ex rigore ingenti uehemẽter perfrigerati, celeriter ſeſe excalfacere properarunt: multique eorum cùm ſubitò ac ſimul manus igni admouerunt, ingentem circa unguium radicem ſentiunt dolorem.

Et quiſquam cùm tam luculenter uideat intemperiem inæqualem doloris eſſe cauſam, etiam de internis doloribus dubitet aut miretur, quo pacto citra phlegmonẽ ſubinde uel laxiore inteſtino, quod colon Græci uocant, uel dentibus, uel alia quauis particula homines doleant? Nam neque talium ullum mirabile eſt, nec quemadmodũ ſimul rigeant & febricitent

ægrotantium aliqui: quippe si pituitosus succus, qui frigidus est, quemq; Praxagoras uitreum appellat, & amara bilis, quæ calida est, simul abũdẽt, ac per sensibilia mẽbra moueantur, nihil miri est utrunq; à cubãte pari modo sentiri.

rabile ægrotum pari quoque tempore, à calido, & frigido plerunque tentari. Nam si lenta, crassá que pituita, quam Praxagoras, & Philotimus uitream appellant, & bilis amara, quæ calidissima est, corporibus abundabunt, agitatí que à putredinis calore hi humores, per sensilia membra simul moueantur, nimirum si æger, eo propè tempore ab his & calefieri, & frigescere perspiciatur. uerbi causa: ad interna corporis bilis amara, uel iecoris uitio, supra modum excalfacta, aut praua uictus ratione aucta, ubi putrescet, ab ea fumus ad cordis uentriculos subleuatus, calorem extraneum spiritibus impartietur: qui ad omnes corporis partes per uenas, & arterias delegati, eas inflammant. Sed cùm ad exteriores corporis partes, ob humoris crudi & pituitosi copiam, sicut supponitur, exhalare non possunt, eius pituitæ pars tenuior liquescit, & per sensiles partes decurrit. Vnde ob id, & spiritus etiam inflammatos, qui ad interna reflectuntur, calor simul, & frigus amborum humorum causa percipi potest: Quod ne factu perquàm difficile appareat, hi profectò Hippocratis argumento fortasse acquiescent: Quem planè frigus, & calor, pari noxa tentabunt, si postquàm temporis spatio,

tio, ſub ardente ſole moram traxerit, ex frigidiſsima aqua perfundetur. Solis nanque ardore concaleſcet, & aquæ frigiditate horrebit. Sed cùm hæc ab externis cauſis & in magnas, & organicas corporis particulas contingant, quid mirum, ſi ea etiam in his, quæ ad corporis interna, uel minima procumbunt, euenient? Nam febribus his, quas hepialas uocant, crudam & frigeſcentem materiam abundare diximus. Quæ ubi putreſcet, per omnes ſenſiles partes, utcunque minimas, in quibus mouetur, calorem ſimul & frigus inducere poteſt. Cuius rei ratio craſsiſsima eſt materia: quæ perquàm rarò ſicut ſuprà diſſeruimus ex toto putreſcit. Verùm ubi pro parte ab extraneo calore accenſa fuerit, calorem ſimul & frigus, eandem in partem quantuncunque minimam mouebit. Quamobrem miraculo non erit aſcriben

Neque enim ſi hominem ſub ſole feruido ſtatuas & aquam illi frigidam infundas, fieri poteſt, ut non ſimul & à ſole calorem, & ab aqua frigus ſentiat. Verùm hoc caſu ambo extrinſecus ſunt, nec paruis portionibus incidunt.

In febribus, quas hepialas uocant, tum ab interno, tum exiguis portionibus, eoq́; uniuerſum corpus ambo ſentire uidetur. Cùm enim tenuiſſimis portiunculis aſperſum per corpus, tum calidum ſit, tum frigidum, nullam ſenſilem alterius portiunculam ita paruam deſumas, in qua non alterum ſit comprehenſum. In ipſa tamen acceßionis inuaſione, aliqui febricitantium tum rigent, tum uerò febricitant, tum ambo ſentiunt, frigus immodicum, & calorem unà.

bendum, si ægroti nonnunquam eo tempore & loco calorem simul & frigus percipient.

Sed roget quispiam, num in minima membri parte, in qua putrescens materia mouetur, eo tempore calidum simul cum frigido liceat sentire. Alienum certè id à ratione uidetur: Contraria etenim sunt calidum & frigidum: propterea loco eodem ea esse difficile est credere. In confesso planè est omnium tum philosophorum, tum medicorum, calidum & frigidum contraria esse: Et ea quando ex magna distantia, sub genere eodem posita fuerunt, nequaquam eodem in subiecto exquisitè simul esse non posse. Suapte enim natura circa idem subiectum, se inuicem expellunt contraria. Quapropter sensim tantùm, & pauxillo temporis processu, quæ uerè contraria sunt, eandem partem possunt occupare. Sed in hoc contrarietatis modo, de hepialis febribus, nostra hæc disputatio non uersatur. Calidum siquidem, & frigidum, quod in his febribus sentitur, non uelut contraria, sed sicut alterantia in sensilem partem agere uidentur.

dentur. Neque à uero alienum eſt, ſenſilem partem, eo tempore & loco, non tamen adæquato, à contrarijs qualitatibus (dummodo tanquam contraria non agant) alterari. Nam quemadmodum oculus eo tempore & album, & nigrum facilè uidet, ita & in ſenſili parte calidi & frigidi alterationem ſimul eſſe apparet. Vtrum autem contraria uiſibilia, utpote album & nigrum, ſecundũ eandem oculi partem adæquatam uideantur, nec ne, cum in alterutram partem grauiſsimi aliquando ſcriptores cadant, iam non perſequar, & à moroſa hac diſputatione abſtinebo. Sed eam philoſophis, qui talia per ſummum aliquando ocium extricare ſolent, relinquo. In præſentia etenim nobis ſatius fuerit, hæc tanquam medicis magis manifeſta credere, ut rem unde digreſsi ſumus, facilius perſequamur. Ex qua apparebit inæqualem hanc intemperiem, ex calido ſimul & frigido, non modo in hepialis febribus eſſe, uerùm & in alijs febriũ generibus, nempe tertianis, quartanis, cæteriſq́ꝫ, quibus acceſsionũ principio horrores cõtingunt. In his nanqꝫ ex horrore externa planè omnia cum extremis frigent: Ex putreſcente uero materia, quæ ad interna ſunt, calent. Caloris ſiquidem cauſa putredo eſt accenſa, frigoris uerò & horroris uel frigida, uel mordax materia. Quæ dum ad pu-

tredinis locum mouetur, per ſenſiles partes decurrit: Quæ ex inſolenti illo excrementorũ motu haud ſecus ac membra feruenti aqua ex improuiſo conſperſa cõtremiſcunt. Verum in his ſenſus diſpar eſt. In hepialo enim unaquæq; corporis pars, quantumcunq; minima, calore ſimul & frigore tentatur. In aliĳs partes alteratæ manifeſto ſenſu diducuntur. Nam in exterioribus frigus, in interioribus calor tantum percipitur. His præterea intermittentibus febribus ſimiles etiam ſunt febres illæ, quas Græci lipyrias uocant: in quibus interna calore, externa frigore uexantur. Huius lipyriæ febris Galenus de Differentĳs febrium non meminit, unde non alienum fore arbitramur, eam ab hepialo non diſtare: Quanquàm in hoc frigiditatem ad interna, & calorem ad externa uigere proditum ſit: In lipyria uerò contrarium. Ambarum nanque cauſa eſt materia craſsiſsima: ex qua perbelle, calidi & frigidi ſymptoma intus & extrà in utraque effici poſſe contendo. Et quemadmodum lipyria febris à bile & pituita, utraque tamen craſsiori fieri poteſt, ita & hepialus. De quo cum ſuprà fuſè diſſerui, ad lipyrias redibo: Quas uerè ab hepialo diuerſas eſſe, pleriq; exiſtimarunt. Nam libro Diffinitionum Galenus (ſi uerè liber is Galeni legitimus ſit, de quo

Verùm nõ eodem loco: quippe cùm poſſint q̃ excalfactæ ſunt partes, manifeſtè à refrigeratis diſcernere. Nã intus, & in ipſis uiſceribus calorem ſentiunt, in externis partibus uniuerſis frigus.

Tales perpetuò febres ſũt & quæ Græcè lipyriæ uocãtur. Præterea quoddam ardentium febriũ pernicioſum genus.

quo sanè multi non spernendi scriptores haud mediocriter dubitarunt; utcunque res se habeat, locus non est, ut de hoc nunc disseramus) de lipyria sic scripsit, Externas scilicet corporis partes frigescere, & intima ardere, cohiberique excretiones, & sitientibus linguam exasperari, pulsumque exiguum esse, atque debilem, & calorem innatum deficientibus similem, propeque emortuum. Ex hac diffinitione nō parua adest dubitatio, num sit hæc febris illa, quam Auicenna lipparā uocat: quam planè idem autor, ex bile & pituita crassioribus exoriri contendit. Crassior nanque materia in febribus, ea minime symptomata formidolosa, quæ nuper in lipyria recensui, efficere potest: Vnde iure hāc aliud febris genus esse psuasum habeo. Quòd nec ineptè fortasse eam in synochorum genere (sicut antiqua translatio habet) locare possemus. Synochus siquidem à Galeno continuus interpretatur, & ex cōtinentibus febribus est. In qua interna maxime urūtur: Externa uerò ob copiam obstructionū, seu ob caloris innati retractionem, ad cor ipsum, quod certe in his ardentioribus febribus aliquādo fit, frigescūt. Præterea cùm pro exemplo ponatur lipyria, & aliud genus ardentiū febriū exitiale, quod causon (ut opinor) uocatur, habere inæqualē intemperiem, uerisimile est, lipyriam ipsam nō

illam Auicēnæ lipparam, ſex ex ſynochis potius, aut cauſonibus aliā eſſe. In quibus dum calor ad interna, & frigus ad externa pcipitur, id ſane in maioribus tantū particulis apparet. Contrarium uerò uidetur in hepialis minutis, id eſt, in quibus unaquæq; pars, uel quantuncunque minima, nō tamen adæquata, eo tempore ab interno frigore, & calore externo tentatur. Quamobrem in his, & cęteris etiam putridis febribus, diuerſa tamen ratione tēperaturæ ex duplici inæquali fiunt intēperie: In hecticis autem, ſicut prædiximus, ex una tantum, & æquali. Atqui in quodam hominum genere horrores nonnunquā ſine febre cōtingunt: qui, quòd rariſsime accidant, non mirū ſi ueteribus fuerint ignoti: Quippe qui crapulę, & longi ocij expertes erant, ad horrorem omnes neceſſariò febres accedere ſcriptitarunt. Hi quidem nec accuratè cognouerunt, mulieribus quibuſdam, & uiris

Quod igitur in his maioribus portionibus accidit, hoc in hepialis contingit minutis. Inæqualis nanq; eſt & harū febrium intemperies, ſed nec minus reliquarū omniū, exceptis tamen hecticis. Quin etiā ijs qui rigēt, nec tamen febricitant, inæquale tēperamentū eſt: rarū tamen eſt id ſymptoma. Cæterū incidit tum mulieribus, tum quibuſdam aliquando uiris. Debet autē omnino deſes præceßiſſe uita: aut certè ciborū copiam longiore ſpatio homo ſumpſiſſe: ex q̄bus tardus, frigidus, crudus, & pituitoſus naſcatur ſuccus: qualē ſcilicet Praxagoras uitreum exiſtimat. Porrò antiquitus nemo (ut uidetur) ita eſt affectus, ut qui nec adeò otioſi, nec in uictus ſaturitate uiuerent. Indeq; factum eſt, ut ſcripſerint antiqui medici rigori febrē neceſſariò ſuperue=

uiris, quibus uita admodum fuit ociosa, & uictus ratio licẽtiosissima, in his pręsertim cibarijs, quibus lenta crassaq; pituita gignitur, horrores huiusmodi nõnunquã euenire. Crudus siquidem humor frigidus huius causa est: Qui ubi in stomacho, & capite redũdabit, dum per sensiles partes mouetur, quod nocte potissimũ accidit, horrores eos, quos febres non consequũtur, parere solet: Tanta nanq; est huius humoris cruditas, & crassitudo, quòd non facilè putredinẽ admittit: Vnde eos frequẽter ex frigida destillatione, sed frequentissime ex stomachi cruditate potissime exortos fuisse perspeximus. Horror igitur ipse, quanquàm sine putredine aliquando fiat, inæqualis tamen intẽperiei causam pręstabit. Ex quo intemperamento frigido, & altero scilicet calido coniuncto ab hepialo febre correpti præcipue uexantur. Ea nanq; ipsa febris est hepialus, quãdo frigus & calor eo tempore, & loco simul coniunguntur. Sed ubi ad horrorem febris sequitur, sicut in tertiana, quartana, & id genus intermittentium, hepialus non erit.

nire. Verũtamen tum nos ipsi, tum alij iuniorũ medicorum non pauci, sæpenumero uidimus rigorem, quẽ nulla secuta sit febris.

Porrò cõponitur ex hac intẽperie, & ea quæ febricitantium est hepialus (appello ita febrem illã, cui ambo semp accidunt) At in qua rigor quidẽ præcedit, febris sequitur, uelut i tertianis, et quartanis, hãc hepialũ non uoco.

Quocirca, ut doctrina clarior sit, & ad sacros medicinæ fontes hauriendos candidati uberius ex hoc nostro qualicunq; labore fructum capere possint, me non pigebit, cuncta quæ suprà fusissimè pertractaui, obiter iterũ,

 & epi

& epilogi modo recensere.

Ita ex duplici inæquali intemperie hepialus componitur. Etiam aliæ febres, præter hecticas, ferè omnes.

Liquet igitur inæqualem intemperiẽ, totum corpus occupare, quando à duplici intemperie calida, & frigida, in unaquaque eius parte uel minima, sicut in hepiala febre tentatur. Et in causone, & lipyria, synocho'ue, & cęteris febriũ generibus, quas horror primò inuadit, ubi diuersis & maioribus in partibus tantũ calor ipse, & frigus sentitur. In hydrope præterea anasarca inæqualis intemperies frigida totũ corpus afficiet: & ubi ex cibi cruditate, & ambientis frigore, horrores sine febre accedent.

At in plerisque alijs febrium generibus putridis, quę sine horrore & typo molestant, ephimerisq́ꝫ, quas euidentium causarũ aliqua præcipue suscitat, calida intemperies, & inæqualis occurrit. Verũ & in particula tantum, ea etiam accidet: quando ab aliquo tumorum præternaturalium genere corripietur. Hi nanqꝫ sunt phlegmone, erypesilas,

Simili genere qui particulæ alicuius cum tumore morbi sunt, hi quoq; omnes perinde ac phlegmone, cum intemperamento inæquali consistunt, cancer, erysipelas,

las, phagedæna, herpes, gangræna, cancer, œdema, & id genus. Quorum omnium ratio, ab alicuius humoris fluxione dependet: Qui humores, cũ uarij sint, pro eorum uaria natura tumores etiam discriminantur. Nam flaua' bilis plerosque gignit, atra alios: sanguis uerò uel integer, uel mixtus, pro integritate, & mixturę ratione alios, atq; alios. At ex pituita pro eius uarietate ab his diuersi alij, atq; alij producuntur. De quibus omnibus, cum suprà, & etiam libro de Tumoribus præter naturam, satis commodè scriptum sit, eos consultò prætereo. In uniuersum nihilominus, prout ꝓposito nostro inseruire uidetur, sat erit scripsisse, quòd pro fluxionis natura tumores, alium atq; alium modum, & naturam accipiẽt. Et ea propè ratione increscent, qua ex alterato, & inflammato sanguine phlegmones gignẽdo in primis exposui. Quæ fluxio, cũ ad simplices, & similares partes de-

carbunculus, herpes, tumor, phagedæna, gangræna: quippe cõmune ijs omnibus est, ut ex fluxione humorũ sint orta. Dißident in eo, quòd alij ex pituitoso, alij ex bilioso, uel melancholico succo, alij ex sanguine uel calido, uel tenui, uel bulliente, uel frigido, uel crasso, uel alio quopiam genere affecto fiant. Declarabitur enim alio loco de horũ membratim differentia diligenter.

Quod ad propositam disceptationẽ pertinet, hoc tantum dixisse abunde est, quòd qualiscunq; est fluxio, eadem ratione quenq; prædictorum affectuum creat, qua prius ex calida & sanguinea phlegmonẽ gigni monstrauimus. Sed non minus etiam similarium, ac simplicium, primorumq; in ijs corporum singula, sic à fluctione affecta ad

inæqualem intemperiem deuenient. Cæterum extrinsecus pro reumatis ratione calefacta, refrigerata: siccata, uel humectata: penitus & in profundo nondum similiter affecta.

uenerit, in his inæqualem etiam intemperiem efficiet: Aequè ad externa secundum corporis exteriorem partem, pro eius natura, & qualitate, calorem, frigus, humiditatem, uel siccitatē producet. Quorum fluxionum, & omnis generis febrium, præter hecticas, & affectuum singulorum, quos prædiximus, perpetua fuerit ratio, dū in alteratione consistent, inęqualem semper intemperiem cum dolore parturire.

Quòd si tota per tota mutata alterataq; sint, fiunt quidem illico à dolore libera: in difficili tamen sic constituta sunt statu.

At cùm ex toto particulæ actiones, à malo fuerint deuictæ, omnis prorsus cessabit dolor, & ad æqualem illam intemperiem, quam de hecticis febribus prædiximus, deuenient: & in difficiliori, ac magis periculoso statu consistent. Hęc siquidem ad medicinæ cādidatos scribere uolui.

Hæc prænouisse, his qui opus de medicamētis sunt percepturi, & post id medendi methodum, abunde mihi satis uidetur.


Quæ prius ac de simplicium medicamentorum facultate, & methodi opera aggrediantur, operæ est precium prænouisse. Refert neq; in primis scire, quale sit medicamentum, num calidum

dum, frigidum, humidum, uel siccum: & in quo qualitatis gradu persistat: Deinde intemperiei conditionem: Quã cum nacti fuerimus, quonã modo in ea esse debeat curationis methodus, perquàm facilè inueniemus.

Constat itaq; paraphrasin hanc nostram illis fore utilem, qui simplicium pharmacorum doctrinam, & curationum methodum accuratisimè pertractare molientur: proinde & librũ de simplicibus ante methodum iusto ordine legendum esse.

FINIS PARAPHRASEOS IN *librum Galeni Pergameni de inæquali intemperie, per excellentißimum Medicinæ professorem D. Prosperum Calanium Sarzanensem.*

HERCVLI GONZAGAE CARDINALI MANtuano amplißimo Prosper Calanius Sarzanensis medicus S. P. D.



MPLISSIME domine, cùm superioribus annis Romam cōmorandi gratia ire statuisses, ubi & cœli, & uictus rationis insolentia te facilè lædi posse uerebaris, me (utpote tui maximè studiosum) perbellè facturum existimaui, si scriptis consiliū aliquod ad te darem, quo ualetudinem tuam absq; alicuius duræ legis obseruantia, facilè tueri uales res. Quod cùm nonnulli utriusq; nostrum minimè uulgares amici studiosis utilissimum, & tibi etiam non ingratum fore, si in præsentia in publicum ederem, iudicassent, id planè typis primo quoq; tempore imprimendum esse, perquàm facilè permisi. Qua in re, huiusce nostræ paraphrasis breuitas, quam charissimorum amicorum rogatu chalcographis tradere coactus sum, consilij nec mediocris occasionem præstitisse uidetur. Ea nempe cùm uel ad mediocre uolumen impressa esse non posset, cōmentarium ipsum uelut appendicem quandam, & ornamentum, paraphrasi ipsi addendum esse curaui. Quod quanquàm uniuscu-

iusq;

iusq; ualetudini accommodari posse uideatur, in amplitudinis nihilominus tuæ gratiam in primis confectum fuisse, tibi facilè persuadebis. Id igitur qualecunque fuerit, nomini tuo dicare precium esse operæ arbitratus sum. Quod planè meũ erga te amorem, beneuolentiam, mentem deniq;, & obseruantiam plenissimè ostendet.

Vale.

PROSPERI

CALANII, DE VA-
letudine tuenda, com-
mentarius.



ERSPICVVM eſt omniũ cùm Philoſophorũ, tum Medicorum conſenſu, qui præſertim rationi inſiſtunt, bonam corporis ualetudinẽ ex elementorũ ſymmetria eſſe. Quæ cùm duplex ſit, prior eorum elementorum complexum, & appoſitionem decernet, altera temperaturam. Hanc enim ex eorum facultate quæ miſcentur, dimetiuntur: illam uerò ex quantitate. Quamobrem cum Galeno in Commentarijs de natura humana iure dicere poſſumus, illum corporis ſtatum inculpatiſsimum, & temperatiſsimum eſſe, in quo quatuor elementorum commoderatio, & eorum inter ſe mixtura, fuerit abſolutiſsima: culpatum uerò, ſi quando eum ab inſigni quadam offenſione correptũ, extra morbum comperiemus. Sed cum in ſtatu illo corpus ne momento quidem conſiſtere poſsit, de hoc ſiquidem quod noſtri eſt propoſiti, in præſentia diſſeremus. Eo nanque in ſtatu pro naturæ ſuæ

ratione

ratione corpus, ne in morbum facilè decurrat, conſeruare oportet. Quod planè ex uictus in primis ratione, quæ omnis medicinæ ſaluberrimum eſt remedium, perbellè efficiemus. Verumenimuerò cũ ratio ipſa pro hominis temperatura, mutabilis & uaria eſſe debeat, difficile quidem omnium corporum rationem, ex unica tantum tuendæ ualetudinis traditione complecti poſſe uidetur. Nam bilioſo alius certè modus ineſſe debet, & alius ſanguineo: pituitoſo itẽ alius, & alius melancholico. Quãobrem ut uictus ratio his omnibus diuerſa etiam ſit, neceſſe eſt. Verbi cauſa: ſi atra bilis in temperatura redundauerit, in hac calidus & humens cibus depoſcetur: bilis uerò ſi amara, frigidus & humidus. Atqui pituitoſis calida & humida conducent: ſanguineis uerò, quæ boni ſunt ſucci, & modicè alunt. Operæ igitur precium fuerit hoc in commentariolo, in quo in uniuerſum tuendę ualetudinis modum tradere inſtituimus, de his in primis, quæ ad uictus rationem pertinent, diſſerere.

Eæ nanq; cauſæ euidẽtes appellantur, à recentioribus uerò res nõ naturales: in quibus cum tota uictus ratio iure ipſo comprehendatur, perbellè ad omnium utilitatem nos facturos exiſtimabimus, ſi de eis ſingulatim pertractaremus: Nam ubi, quales nobis incõmoditates,

tates,cibus,aër ambiens, exercitatio,animi affectus,repletio,ſomnus,& quæ cum eis affinitatem habent, parere poſsint, percallebimus; quis quæſo tam uecordis fuerit animi, qui dũ eas nobis periculũ minari exiſtimabit, utpote cane & angue peiores, ſummo ſtudio præcauere non contendet? Quod ſi hac ex ratione aſſequi facilè non poterit,breuiuſculum,& familiarem medicamentorum uſum, uelut appendicem,& corollarium quoddam addemus, quo nemo unus (niſi inutilem ſibi libertatem eſſe uoluerit) uoto ſuo fraudari poſſe uidebit.

Ad continentem igitur illum corporis noſtri fluorem, quantũ fieri poterit,reparandum (cui uelimus,nolimusq́,donec interitus occaſio acciderit,ex dura naturę noſtræ lege ſubijcimur) cibus,& potio inter cætera commodiſſimi arbitrantur: Nam ex potu quicquid humidioris ſubſtantiæ à corpore ſingulo quoq; die defluxit, reficimus : ex cibo quicquid ſolidioris.In quibus,ſi quippiam, quod opportunum eſſe cenſeatur,fuerit prætermiſſum, animal certè præpropere ſeneſcit,& ad ineuitabilem interitum delabitur. Quod ne per imprudentiam accidere poſsit, cibum prius,ac edendi cupiditas acceſſerit,ne aſſumito. Is nanque cùm ſupra,infraq; iuſtũ expetitur, plurimum obeſt,& in malum ſuccum facilè conuertitur.

Cibi

Cibi autem desiderium, si tempestiuum fuerit, ex supernarum partium leuitate, & competenti cibi abstinẽtia dignoscemus. Fames item postquàm æquo tempore affuerit, cibum capere non differto. Ex pertinaci pleruncq; inedia graues stomachi affectus ob putridorum succorum congestionem exoriri consueuere. Et quoniam super inconcoctos cibos prandere, aut cœnare, efficit, ut aliquando morbi ex lentis, crassisq; humoribus, utpote nausea, podagræ, articulorum dolores, uesicæ, aut renum uitia, intestinorum tormina, & huiusmodi innascantur: idcirco antequàm cõcoctus sit prior cibus, alium ne edito. In hyeme præterea calidiora, uehementiorisq; materiæ, utpote quæ difficilius concoquuntur, & magis alunt, sumito: æstate uerò contrà: Et æstate quidem dum temperatior est cœli habitus, mane: hyeme uerò meridie: neque ex eis ad saturitatem comedito: Quandoquidem comestio illa deterior esse censetur, quæ stomachum aggrauare, & ilia inflare, & intestinorum crepitum facere, & ingenium hebetare, inertiam quocq;, & mala somnia, & nauseam, & æstuationem parere solet. Eadem ratione potus ille perniciosissimus, qui multiplex est, & cibi mensuram transgreditur, ipsumq; in stomacho natare facit. Quæ cibaria cùm tenuiora fuerint (quoniam aluum molliunt)

molliunt) præſumito, & craſsiora, duriora'ue poſtponito. Verũ ubi ſtomachus diu uacuus, & edendi cupiditas extiterit, contrarium facito. Illa quoque edulia, præſertim quæ ex piſcibus conſtant, poſt laborioſam exercitationem, priuſquàm ad temperamentum peruentum fuerit, ne ingerito. Verùm ſi ſtomachus imbecillis fuerit, & ad concoquendum plerunque æger, ſemel in die, quod ſimplex & exiguum ſit, uel manè, uel ueſperi, pro conſuetudine comedito: Neque diutius in eſu commorator. Aſt ubi largius, quàm opus ſit, prandere contigerit, haud cœnato. Contrà ſi cœna uberior fuerit, haud prandeto, uel quod tenuiſsimum ſit, illius loco comedito. Quòd ſi hac de cauſa ſitis ualida exoriretur, tunc ſomno uti prolixiore, & tenuiori frigidæ ſorbitione, remedio eſt. Præterea quod guſtu maximè expetitur, quanquã ſucci boni particeps non ſit (dummodo ad eum aliquando uſus fuerit) accipito. Id enim naturæ quàm gratiſsimum probè concoquitur. Ne tamen is temere accipiatur, obſeruato. Quandoquidem ex malorum ſuccorũ congeſtione, ualidi quàm facilimè morbi exoriuntur. Neque ad ea quæ craſſo ſucco alunt, frequens accedito. Ea enim ſunt leguminum omnium genera, preterquàm rubri ciceris decoctum, bubula item & ſuilla, & auiũ in aquis

degentium caro, antiquus caseus,& caseo con dita edulia,azyma, & huiusmodi plurima alia. Hæc siquidem præcordiorum flatum, melancholiamúe facilè parant. Verùm ubi ad ea animus fuerit,quæ horum malitiam corrigunt,sicut infrà Deo optimo maximo duce, differere statuimus,cum eis accipito.

Panem,quanquàm tum antiqui,tum recentiores pro granorũ uarietate, quibus eum conficiunt,multiplicem habeant,de eo tamen,quo ex solo frumento omnis nostri temporis nobilitas,tanquã naturæ mortalium salubriori uescitur,tantùm in præsentia loquemur.Qui panis autore Hippocrate,cum ex uaria cõficiendi ratione diuersos nobis effectus facere possit,eum in cibis præcipuum iudicamus,qui ex optimo tritico,montuosis locis demesso, purissima,recentiq; farina,absq; excrementis,& furfure confectus sit: & cui fermenti,& cocturæ, & pinsendi rationis, tantum inesse debeat, ut stomacho coctu facilis, & nutricatu saluberrimus existat. Talem etenim tẽporibus nostris urbanos pistores,qui à Iachetto Gallo homine sub IVLIO secundo Pontif.Maxim.præcepta in pane ipso conficiendo didicere, passim uenundare uidemus. Sed num panis iste sit ille,quem Plinius aquaticum appellat,morosus quispiam contendere posset:Romæ enim uulgò bas

gò baſſus, & buffettus appellatur. Panis præterea dum calidus eſt, cardiacis, & melancholicis ſuopte odore auxiliari ſolet: Et ſi eo modo, præſertimq́ ex cruſta edatur, corpora ſiccare, & atram bilem gignere: Ex farina autem cribro non excuſſa factus, αὐτόπυρον, & σύγκομιστον appellant, aridi ſucci eſſe, & aluum ciere. Azymus multùm alere, minus mouere, opplere itē, & craſsiſsimi alimēti, & concoctioni cōtumax eſſe: Subteſtaceus, & ſubcineritius, quoniā hic per cinerem, alter per teſtam, quæ humidum ebibit, arefacere: Vnde furnaceus, ſi craſsior extiterit, & aniſorum, aut fœniculi parum habuerit, quandoquidem de humido plurimum retinet, & flatum diſcutit, cæteris præſtabit.

De uino, permulta ſunt, quæ prohibent nos longam diſputationem (ut locus expoſtularet) habere, utpote omnes uini differentias ponere, coloresq́, & eius facultates, cuius rei nulla pars eſt difficilior, aut numeroſior. Tardum etiā dictu eſt (ut inquit Plinius) id eſt, indigens maxima conſideratione, nouiſſe, pluribus'ne proſit, aut noceat uinum. Præterea, quàm ancipiti euentu potus auxilium ſit, an uenenum. Adde quòd de generibus ſingulis differere immenſum eſt, & inexplicabile, diſcordibus Medicorū ſententijs, & uario guſtus iudicio. Præterea cùm temporis diuturnitate uinorum no

mina,conficiendorum etiam ratio,usus, & con ſeruandi uarius modus, loca etiam in quibus naſcuntur,quæ uini generoſitatem facere conſueuerunt,permultaq́ alia, quæ ſcitu digna eſſent,noſtræ tempeſtati uel uaria, uel incognita ſint,materiam de uinis difficilimam,laborioſiſſimamq́ reddunt. Et quoniam nobis animus non eſt,licẽtiore ſtylo de uinis diſputare (alioqui, quæ ſtudioſi longo ſtudio à grauiſsimis ſcriptoribus habuerunt, docere uideremur) ea uina tantùm, quæ in urbe Roma, & pleriſque etiam alijs in locis frequentiori in uſu habentur,utpote ad tuendam ualetudinem ſalubriora,commemoremus. Quorum ut magis cõducibilia eligere poſsint,operępretiũ fuerit corũ uim,coloresq́, atq́ genera paucis diſtinguere.

Genera autem, tum antiqui, tum recentiores,tria eſſe prodiderunt,dulce ſcilicet,auſterũ, & tenue,idq́ medium inter dulce & auſterum: Colores uerò quatuor,album,fuluum,ſanguineum,& nigrum: fuluum tamen albo propinquius, & ſanguineum nigro. Et quemadmodum media ab extremis, aut multum, aut parum diſtare poſſunt, in eis pro ſtatus uarietate differentes colores exorientur. Quamobrem uini tum colores,tum genera, à prædictis plura eſſe contendo. Quæ cum ab extremis ipſis multum abeſſe non uideantur, non ſpecie quidem

quidem,ſed pro qualitatis magnitudine,& exi guitate(autore Galeno)certiſsime diducẽtur.

Vinum igitur,quod ſuapte natura dulce eſt, ex craſsis partibus conſtat: nigrum tamen albo craſsius.Qua de cauſa difficilius concoquitur,ſtomachum inflat,ſed minus inebriat, corpora multum alit,malos ſuccos, bilem præſertim amarã,gignit : Caput,aluum, & interanea ut muſtum turbat, propterea in menſis præſumi ſolet;circa præcordia digeritur, quandoquidem in ijs multã moram trahit,flatumq́ creat: Nocet item iocinori, & lieni,quoniam ſua craſſitie partes eas obſtruit:Pulmoni tamen,& melancholicæ temperaturæ utile eſt,quoniam calfacit & humectat.

Auſtero uino,& præſertim albo,quod ab aquæ imbecillitate receſsit, & uini meri noxam nondum habet, roborandi uentriculi gratia ſæpe utimur. Id autem quando merum, ſyncerum'ue ingeritur, celeriusq́ dilutum, per uenas tranſit, appetentiam ciborum inuitat, ſomnum conciliat, caputq́ inter omnia minime tentat. Cæterum ad digeſtionem in corpus nõ multum feſtinat, quoniam aluum , & cæteras fluxiones cohibet,parui eſt alimenti. Quando autem uinum album eſt,& auſterum ſimul(autore Galeno)non eſt diureticum.

Tenue,quod eſt medium inter dulce, & au-

sterum, stomacho utile est, quoniam ipsum maxime nutrit, facileq; in membra distribuitur, in secunda ualetudine & sinistra, ad succi bonitatem cum primis laudatur, urinam celerius mouet, caput dolore tentat, & temulentiam gignit. Hacq; de causa ieiunis etiam noxium est: Curas enim, uigoremq; animi impedit somno minime accõmodatum, ac securitatibus: Quapropter sapientiam ministrantes, ex eo facilè obumbrari creduntur.

Vinum album, ut aquæ similem formam habet, ita in uiribus haud multũ dissimile: Quapropter cæteris minus calidum existimatur: Præterea ad uesicam celerius trãsit, lotium cit, magnumq; semper auxilium in his morbis afferre solet, minus etiam capita grauat. Biliosis, sanguineisq;, & suapte natura, aut alia de causa calefactis, tempore præterea calido, & calidum iecur habentibus, illis quoque qui in assiduo studio uersantur (quoniam sine fumo, & infirmum est) idoneum iudicatur.

Fuluum uinum, quod albo in colore propinquius esse suprà ostendimus, non multum à rubello (ut appellare quidam solent) uiribus, potestate'ue distare uidetur (id enim sanguineum, alij rubrum, alij giluum, alij cerisiolum, alij uermiculum, Galli uernaculo idiomate claretum appellant) uires autem habet inter

ter utrunque, ſcilicet nigrum & album, & quales in uino tenui ſuprà commemorauimus. Et licet rubrum fuluo calidius ſit, fuluum tamen rubro ſuauius; quoniam ex translucido facilius recipitur aër: qua ex cauſa, uuas nigras matureſcere ſerius credunt: Præterea qui caput firmum habent, ab ijs uinis minime lædi putant. Eorum nanque potu largiore, ſpiritus admodum clari, frequentesq; creari ſolent, propterea & ingenio, & ſpeculationi accommodatiſsimi efficiuntur. Vnde non ab re uideri debet, ſi ex ijs, qui & in ſcientia, & rerum geſtarum magnitudine claruerunt, non pauci generoſi uini ſectatores extitere. Quæ uina in tuenda ualetudine præcipua eſſe debent, tempore præſertim frigido, & eligantur, quæ ſint odorata, ſaporis optimi, media ſcilicet inter dulce & auſterum, & colore uel fulua, uel ſanguinea, & nitida claritate perſpicua: Et dum pateris diffunduntur, crepitantes ſonitus, & natantes in ſummo bullulas, quæ ocyus euaneſcant, & quaſi atomos medio diſcurrentes habentia, qualia plerunque ſunt Salerna, Surrentina, & quæ Græca dicuntur, & Corſica tenuia, & id genus, quæ in urbe frequentiora eſſe ſolent. Ex quo facile eſt iudicare, quàm deteſtabilia cenſeantur uina illa, quæ ſuapte natura ſapores in ſe uarios, utpote dulce, & au-

ſterum continent: Nam ut guſtu ſuauiora, ita perniciosiora, Galeno autore, iudicantur. Similiter per ueri eſt ſimile, quàm omnibus inutile eſſe debeat, diuerſa uini genera miſceri. Præterea & quæ muceſcunt, aut in aceti naturam tranſeunt (quod uino ipſi proprium eſt) deteriora habentur.

Vina nigra, quoniam craſſa, & terreſtria ſunt, inertiam, membrorum grauitatem, iocinoris, & lienis obſtructiones, cibi quoque tædium, & cruditates parere ſolent: Et hoc plus, minus'ue pro nigredinis, aut craſſitudinis ratione. Qua ex cauſa dilutum citius, quàm merum ebrietatem facere arbitratur. Vinum enim omne dulce nigrum eſt, ut dicit Galenus: Nam album dulce tempore ſuo nullum erat: propterea clarè conſtat uini genera ſeculo noſtro maiore luxu hominum ſolertia omnia exquirente inuenta eſſe. Quæ uini genera neque ad hominis ultionem, ut inſaniat (quod multi putarunt) excogitata: Quippe innocentiora iudicantur (ut diuinus Plato aſſeuerat) ſi animus pudorem, & corpus ſanitatem habuerit: Nam uino aluntur uires, ſanguis'que & color hominum, cibi'que cupiditas erigitur, ex eoq́ alimentum per omnes corporis partes commodè transfertur: Id inſuper

per

per pituitam craſſam tenuiorem reddit, & flauam bilem per urinam cit. Verùm ſi liberalius iuſto ingeratur, hinc temulentorum euerſiones, uaria morborum genera, demẽtiæ, ſoporesq́ deueniunt. Quapropter cauenda eſt copioſa uini potatio. Quãuis ſi ex longis temporum interuallis ebrietas contigerit, commoditate non careat: quippe lotium abunde mouet, ac ſudores profundit: Hacq́ ex cauſa, Platonem ſuis in legibus, ſemel in anno laudauiſſe ebrietatẽ putamus: Quare iure dicere poſſumus, neque uino corporibus utilius aliud, neque aliud pernicioſus, ſi modus abſit. Quod uinum, ut in uictus ratione utilius eligatur, ætate ſit media, quando ſcilicet ad id facultas affuerit. Nam uino uetere, quod eſt guſtu ſuauius, nerui læduntur, & reliqui ſenſus: tamen in ſecunda ualetudine eius parum aqua dilutum innoxiè ſumitur. Nouum inflat, ægrè concoquitur, inſomniorum turbulentiam parit, & urinam cit, neruos tamen minus tentat: Aetate media utraque uitia fugit. Quare ad uictus ſanorum, & ægrorum uſurpatur. Vini autem ætas noſtro tempore, in eo quod Græcum dicitur, quoniam ex Græcis uitibus naſci putant, tertio anno optima eſſe ſolet. Cæteris autem in uinis, ultra octo & decem menſes quàm rariſsimè utilis. Eam autem quam an-

 tiqui

tiqui & obſeruabant, & uenerabantur, ut nobis quàm longiſsimam, & inſuetam, ita in uictu pernicioſiſsimam eſſe teſtamur; qua ex re medicamenti potius uim, quàm uictus habere uidetur.

Vina dulcia & craſſa cōducit inter cibos bibere, ſi quādo corpus augere animus eſſet, aut mollire aluum. Cōtrà minuere, aluumq́ue cohibere auſtera & tenuia; ſitire itē in edendo, poſtea parum bibere. Sed quoniam indubitatū eſt, uinum ſuccū eſſe, quod feruendo uires è muſto ſibi faciat, idcirco ſacco plerunque dum muſtum eſt, ne ferueat, percolandum: Quoniam, (ut autor eſt Hippocrates) ipſius uires tunc maxime refringuntur: Quod iunioribus maxime ſalutare putatur. Nam Platone autore, quintum & uigeſimum annum nati ad generoſum uinum, uel copioſius ſumptum accedere non debent: Seniores uerò ad id liberalius admitti poſſunt: Quoniam uinum remedium eſt aduerſus ſenectutis duritiā, & frigiditatem. Et ſicut igne ferrum, ita uino corpora ſenum molliuntur. Ex quo liquet, hominibus percalidis uel temperatura, uel natura, uel ætate, uel tempore calido, potum aquæ utiliorem eſſe, quàm uini. Si uerò ad id animus eſſet, ſit quàm tenuiſsimum, hoc eſt, puſillum, modiceq́ue aſperum, quale eſt, quod antiqui fugiens, iuniores

nonnulli

nonnulli parum ferens (cùm Græcis ὀλιγόφορον dicatur) uocitare consueuerunt: quod cum diluitur, multam aquam non patitur: Ab hoc nanque dolores capitis leuantur, qui propter uentriculi humores fieri solent: Nam caput dolet, non solùm, cùm quid peculiare patitur, sed etiam cùm uentriculus in ipsum, malorum humorum uapores reiectat. Præstabit itaque in tuenda sanitate, & tẽpore præsertim calido ad hæc uina parum ferentia in primis accedere: In quorũ numero, iure ascribi possunt, & quæ secundaria uina dicuntur, & quæ aquam in musto, dum in uinaceis feruent, admittunt: Quorum si aut loci, aut temporis occasione facultas non fuerit, eius loco merũ uel dilutum, uel parum bibendum. Neminem enim latêre debet (autore Hippocrate) quòd superiores & inferiores corporis partes, ut minus lædit uinum dilutum, ita meracius intestinis magis auxiliatur.

Quandoquidem ad uniuersam ferè uictus rationem, aquam magnum usum præ cæteris rebus, omnibus animantibus præbere non dubitamus, iure inter medicos quæri solet, cuius generis aquæ sint utilissimæ. Stagnantes, pigrasq;, & fontium quæ cœnum faciunt, quæq; malum colorem bibentibus referunt, meritò damnant: Et eas etiam quæ duræ sunt, id est,

tardius

tardius putrescunt, & stomachum lædunt, & longam in præcordijs moram trahunt, & flatum, & pleraque alia eius generis incommoda pariunt: Vtiliores uerò esse, quæ ad Orientem profluunt, arbitrantes cursu, procursuq; ipso extenuari, atque proficere: Hacq; ex causa Nili aquas ob longissimum ipsius cursum, cæteris salubriores existimauere: Probabiles etiam eas, quæ puteis, & fontibus, summis præcipuè in collibus, terra colante, defluxerunt: Eoq; præstantiores, si cœlum uideant, & ipsis exercitationis ratio crebro haustu contingat: Item & quæ citissimè calescunt, frigescuntq;, & legumina ocyus percoquunt, & à præcordijs quàm celerrime descendunt, & quæ æstate frigidiores, & hyeme calidiores existunt: Hæ nanq; de se optimæ aquæ spem certissimè præberent. Et inter has omnes diuinus Hippocrates pluuiam aquam uernam, quæ cum tonitru descendit, tanquam cæteris magis teneram, & concoctu faciliorem, leuissimamq;, & tenuiorem summo laudis præconio extulit. Ex quo facilè est iudicare procellosam aquam, & quæ ex niue, uel glacie defluit, omnium perniciosissimam: Siquidem per aquæ concretionem tenuiores partes omnes exprimuntur. Aquæ præterea, quæ æstate & autumno descendunt, non usque adeò salubres atque uernæ: Quandoquidem

doquidem terra tunc ſiccius exhalat, & quæ terreſtria ſunt aëri permixta imbribus commiſcentur; unde aquæ ipſæ duriores efficiuntur: Neq; innumeri fontes, qui & in Latio, & Campania, & agro Tyburtino, & Sabino, & pleriſq; alijs in locis urbem Romam circũiacentibus, merita laude fraudandi ſunt, qui licet omni ſalubritate prædictis omnibus æquari poſſent, Vrbis tamen præconio & frigoris, & ſalubritatis inter totius orbis aquas, Virgo aqua clariſsima eſt, cuius uoluptas magna in parte, licet in uillas & hortos ambitione, & auaritia decoquentibus publicam ſalutem, iampridem deperijt, adſunt tamen Vrbi, noſtro etiam tempore ipſius etiam reliquiæ, quæ & ægris, & ſanis quotidiano ſubſidio nõ mediocriter ſuffragari perſpiciuntur.

Creſcit & inter has omnes Tyberinæ aquæ laus, quæ ut cæterarum omnium totius orbis notiſsima, ita uictu ſaluberrima iudicatur: Quippe cum ſit aëri quàm ſimilima, & cui odor, ſapor'ue nullus adſit, leuiſsima quoq; (licet aquæ ſalubritatem ſtatera iudicare plerunque inanis ſit diligentia, quoniam, autore Paulo, perrarum eſt, ut leuior ſit aliqua) & omnibus alijs in notis, quibus aquę ſalubres probantur, præcipua. Nõ ab re fuerit Tyberinam aquam cæteris omnibus aquis, quæ celebres habẽtur,
præpo

præpoſuiſſe. Cuius ſalubritatem pleriq; haud mediocriter admirari ſolẽt: Quippe cum aquæ tales eſſe debeãt, qualis terra, per quam fluunt, ut diuinus Hippocrates memoriæ prodidit, mirum ex tanta fœdiſsimarum rerum uarietate in Tyberim penè perpetuo influente, tam illæſum profluere: Aquæ etenim quæ tenuiſsimæ ſunt, & ad putreſcentiam faciles (quippe alterationis facilitas, uirtuti potius, quàm uitio tribuẽda eſt) à ſordidiſsima materia leui de cauſa alterari conſueuerunt: Vnde iure exiſtimare poſſumus aquas ipſas, nulla impuritate huiuſmodi lædi, ſed extenuari potius, atq; meliores fieri: Argumento eſſe poteſt, quòd in defluente, qua Vrbis lõgitudo patet, ad eam partem in primis ſalubrem eſſe omnes affirmant.

Locus uidetur nõ alienus eſſe, ut poſtquàm de panis, & aquæ, & uini natura ſcripſimus, de ciborũ ui, qui quotidiano in uſu à noſtris præcipui habẽtur, ſecundo loco diſſeramus. Nam in ſecunda ualetudine conducit, ſicut ſuprà cõmemorauimus, alimenta cum primis noſcere, quæ & boni, & mali ſunt ſucci, ut ſalubria tantum pro uictu eligantur. Ea etenim (ut ſingula in uniuerſum comprehẽdantur) optima noſtris corporibus cenſentur, quæ nec craſsi ſucci, nec glutinoſi ſunt: quæq; ſanguinem optimum mediocri craſsitudine, & conſiſtentia gignunt:

gnunt: Nam quicquid nimis tenue eſt, malum eſt, parumq́; nutrit, & corpus macilentum, inualidumq́; reddit: Craſſum autem cum glutinoſo eum ſuccum, quem Praxagoras, & Philotimus colloſum, glutinoſum'ue dixerunt. Quodq́; penitus aridum eſt, quoniã nihil glutinoſi, & humidi ſucci habet, bonum non eſt, ſicut panis qui ex panico, millioq́; conficitur, quem cum aſſumimus, quid ſabuloſum, uel cinereum ſumere uidemur. Optima ergo erunt edulia, & ſalubria, quæ mediam horum naturam habebunt: Et eò meliora, cùm melius concoquentur, ſuccumq́; meliorem gignent. Nihil equidem æquè ad bonum ſuccum facit, ac cibaria, quæ probè concoquuntur: quoniam tunc ſecundam, & tertiam concoctionem magis & melius ſuſcipiunt. Hanc enim in membris, & portionibus, quę his uegetantur, & nutriuntur, fieri arbitrantur: Illam uerò in iocinore, & uenis. Primæ autem exordium in ore fit, demum uentriculi in imo perficitur. Quæ concoctio, ſi aliqua de cauſa, utpote uel cibi uarietate, uel copia, uel intempeſtiua eius ingeſtione, & huiuſmodi proba nõ fuerit, perquàm raro à ſecunda & tertia corrigi ſolet, unde morbi nonnunquam exoriri cõſueuere. Scitu præterea dignum eſt, craſſos & glutinoſos humores, à cibis, qui ualidiſsimæ ſunt materiæ, &

maximè

maximè alentes, ortum habere: Quos ſi uentriculus optimè concoxerit, ſanguinem optimum in iocinore gignere: Si uerò ex horum inconcoctione, glutinoſa in uaſculis adhæſerint, abſtergere, & craſſa extenuare, & reſcindere, non facilè fuerit. Qua ex cauſſa tutiſsimum erit, dum ualetudini ſtudemus, cibis huiuſmodi non uti, & ab ĳs pro uiribus, & temporis occaſione abſtinere. Craſſum autem ſuccum & glutinoſum efficere ſolent caro bubula, & gruis, & ceruina, ouilla, ſuilla, quæ ſi annicula eſt, facilè concoquitur, & magis nutrit, quàm cætera edulia, præſertim ſi animal ficis aridis ueſcatur. Nam uti dicunt ſuaue admodum, & boni ſucci fit: de quo plerique haud ſatis admirari ſolent: Quippe cum ſemper in cœno & ſordibus uolutetur hoc animal, & nutriatur, cur eius caro præ cæteris in alimonia laudabilior cenſeatur, ſuſpitione non caret. Nam earum rerum, quibus ſues aluntur, naturam ſimilem imitari perſpicuum eſt: Propterea iure cenſendum, eorum temperaturam optimam eſſe, cuius munere edulia uel mali ſucci in bonum ſanguinem facilè conuertuntur. Ventriculi tamen, qui humidi natura ſunt, ſuillam carnem non bene concoquunt, ſed obſtructiones, & ſuperuacaneam humiditatem parant. Et anſerina cunctis domeſticis aui-
bus

bus craſsior, & magis humida eſt: earum autem alæ, cæteris deteriores non ſunt. Anſerum teſtes, ſi comedantur, dicuntur multum ad ſobolem creandam facere. Anatum præterea caro, cæterarumq́ auium aquis, humidisq́ locis degentium, ueluti ſunt coturnices, quæ à noſtris qualiæ dicuntur, & id genus, ſimilem prædictis facultatem habere creduntur. Oſsium medulla, & cutis pinguium animalium, præſertim ſuum, glutinoſiſsimum habet ſuccum, atque pinguiſsimum, craſſum uerò non admodum, nec tam facilè concoquitur, quemadmodum eorum poſtrema, nec tam boni ſucci eſt, ſed magis ſuperuacanea, & excrementa gignit.

De partibus omnibus animalium (quod in commune memoria teneatur) ſic habeto. Seniorum quidem duras eſſe, & ſiccas: iuniorum uerò humidas, & molles: & propterea concoctu faciliores, niſi cùm primum nata ſint, edantur: nam ea omnia muccoſa ſunt: Lingua & glandulæ, & cerebrum ſuum, cæterarumq́ beſtiarum, & uiſcera craſsi ſunt ſucci, & iecur, & renes, & teſticuli, præterquàm gallinacei: lien quoque, cor, & muſculorum caro, & eorum præſertim principia, quæ capita dicuntur: neruoſiora enim ſunt, quàm oſſa, de quibus oriuntur, quæ uincula etiam quędam con-

nexa & ſparſa habent. Vltimoq́ꝫ loco magni nerui, qui τένοντες à Græcis dicuntur, quoniam tenent particulas & colligant, ſeu tendones Latinè, eò quòd tenti ſunt. Propterea muſculorum poſtrema, neruoſiora ſunt, media uerò carnoſiora, quæ maximè nutriunt.

Piſces omnes craſsi, & glutinoſi, & mali ſucci ſunt, qui in paludibus, ſtagnis, cœnoſis, limoſisq́ꝫ aquis, lacubus quoque paruis, & fluminibus degunt. Nam aëre peiore utuntur, & natatione minore, malisq́ꝫ nutrimentis: præſertim ſi aquæ hæ per magnas urbes fluant, cloacasq́ꝫ ſuſcipiant: nam harum caro peſsima fit: Mugil, Cephalus'ue, & Lupus, quem Romani Spigulam uocant, Cancri, Anguillæ, & id genus, quoniam & in mari, & in aquis malis plerunque uerſantur, in ijs capti, quandoquidem olidi ſunt, & guſtu non ſuaues, facileq́ꝫ putreſcentes, peſsimi ſunt: In illo uerò boni ſunt ſucci, ſicut infrà cùm de rebus boni ſucci ſcribemus, diffuſius deſcribetur. Cammari craſsi etiam ſucci, uixq́ꝫ concoquuntur, præſertim magni, eoq́ꝫ magis eorum chelæ: parui uerò melius: quapropter calida his condimenta addenda ſunt: poſtq́ꝫ eos uinum uetus, & quod rubellum uocant, potetur. Piſces molles, quemadmodum ſunt Loligo, quam à thecæ calamariæ ſimilitudine (quoniam ceu

cultrum,

cultrum, & calamarium retinere uideatur) piscem Calamarium appellant, & Sepia, Polypus, lubriciq́ omnes, ceu Anguillæ, Congri, & quam à lambẽdis petris Lampetram uulgò uocant, & Latini, ut opinor, Mustellam, cæteraq́ similia, crassum & glutinosum humorem habent: quemadmodum & magni pisces, inter quos sunt Thynnus, & Silurus, quem nescio an rectè doctus quispiam Sturionem nostrum possit appellare, cum tamen nobis eum Attinam potius, siue Adenam piscem, ita nunc ab accolis Padi nominatum esse appareat: & Vmbræ, quas nostri Vmbrinas uocant, & huiusmodi. Sed Ostrea, Buccini, cunctaq́ ea, quæ Aristoteles ostracodermata nuncupauit, Hiatulæ, Patellæ, Tellinæ, Conchulæ, & similia, minus crassum succum, quàm cætera habent, sed præ cunctis Ostrea: Horum tamen omniũ ius ob salsedinem, qua maximè pollent, uentrem, sicut lactis serum subducit.

Et casei omnes crassi succi sunt, sed recentes etiam mali: uetusti uerò etiam glutinosi: quorum ratio non paruas habet differentias, propter animalium diuersa genera, & pascuorum, & locorum diuersitatem. Ouilius quidem crassus, bubulus pinguis: Caprinus autem quãtum ad facultates, quas in humanis corporibus peragit, medium locum tenet inter

hæc omnia. Si caſeus tenuis, & ſero abundet, uentrem facilè ſubducit: corpus uerò minus nutrit. Qui autē craſſus, minus mouet, ſed magis alit, difficile tamen concoquitur, uentriculumq́ acido humore, & uentoſo replet, & pituitoſus eſt, difficilem excreatum faciens: à coagulo præterea acrimoniam ſuſcipit. Qui autem eſt recens, mollis, modiceq́ dulcis, & cui ſaccaron, aut ſal permiſcetur, modiceq́, & ante alia cibaria ingeſtus, minus malus eſt.

Lac omne tribus diuerſis partibus conſtat, ſeroſa ſcilicet, & tenui: craſſa & caſeacea: pingui & oleacea. Hæc nanque menſura in omnibus animalibus par nō eſt. Camelinū enim lac, & aſininū ſeri & humiditatis plurimū habet, caſei uerò minimū: Ouillū uerò contrà, ſeri parum, caſei plurimum, cùm ſit craſſum: Pingue bubulum: Medium locum inter hæc animalium genera capra & eius lac tenet. Et hęc inter ſe comparata differentiam aliquam habent, pro ætatis, paſcuorum, locorum, anni temporum ratione, & quàm diu ſit, ex quo pepererint: De quibus ſingulis plenius diſſerere ſuperuacaneum exiſtimauimus: ſatis tamē nunc fuerit dixiſſe, lac omne, & præſertim caprinum, non ſatis tutò porrigi ſine melle, uel certe ſaccaro: quoniam plurimis in uentriculo in caſei duritiem cogitur, mirandumq́ in modum

dum

dum grauat hominem,& præfocat,qui aſſumpſit,præſertim quando à cibo ingeritur:tutius nanque recentiſsime emulctum & abſque alterius cibi permixtione aſſumitur: Vnde lac ipſum recoctum, & ſciſsile meritò damnatur. Scire etiam intereſt, lac in ſtomacho coagulari poſſe, quod homini uenenum eſſe ſolet: propterea recte dicere poſſumus, Vt lac cùm primùm emulctum fuerit, nobis humor eſt amiciſsimus:ita cùm refrixerit,uenenum.

Oua dura, & quæ teſtis & patella coquuntur,mali ſunt ſucci,concoctionemq́ minus bene olentem reddunt, cæteraq́ cibaria corrumpunt.

Piſces ſaliti,& oua ſalita piſcium,quæ Græci oataricha,& noſtri botarichas appellant,ſcilicet difficilè concoquuntur, & mali ſucci ſunt propterea ab horum frequenti uſu abſtinendum,& fungi, qui & mali ſucci ſunt, & ægrè digeruntur: plerunque etenim eorum aliqui, ueneno uel ſerpētis,uel alterius uenenoſi animalis,aut ſuapte natura affecti, anginas, ſtrangulationes,& pleraq́ alia incommoda faciunt. Vnde ex pyris (quæ eorum omnem malitiam tollunt) allijs,pipere,origano, & id genus condiuntur:quando autem probè non cōcoquuntur,iecur & lienem ſepiunt,& bilioſos morbos quandoque faciunt,præſertim ſuilli,quibus fa-

milias aliquando interiisse quidam tradunt. Si uerò quis casu aliquo uenenatos fungos sumpserit à uomitionibus, syluestris pyri, & acerbi succus ad cyathi mensurã ocyus porrigendus. Id enim pręsentaneum est remedium: mel prætęrea ex aqua calida, uel meracum uinum copiose sumptum, auxilio etiam esse solet. Tubera mali etiam succi sunt, & nonnulli plurimo horum usu, torminibus, morbo comitiali, aut syderatione ægrotarunt. Ex uino itaque, origano, & ruta diligenter purgata, & diluta coquantur: postea oleo, & pipere, & aceto condiantur; quidam sub cineres calidissimos tuberes decoquunt, quæ postea sale & pipere, & oleo cõdîta edunt. Scire pręterea oportet, oleum aduersus omnem fungorum malitiam antidotum esse.

De leguminibus, quoniam non eadem est in omnibus ratio, neque omnia ad communem mortalium usum ueniunt, nisi urgente annonę caritate, hoc in loco ea describẽtur, quæ nostro tantum tempore frequentiora habẽtur, & à fabis exordiemur: quarum siquidem decoctũ pectus lenit, & calculos in renibus & uesica, necnon destillationes à capite in pectus descendentes, quę uehementẽ tussim exuscitare possunt, prohibet. Galenus eas inter boni succi alimẽta commemorauit. Recentiores uerò, quãdoquidem

dem concoctu difficiles, & uentosæ sunt, & bestiolas quasdam gignunt, quæ non nisi ex putredine & sordibus innascuntur, eas mali succi esse existimarunt. Accedit, quòd non solum ex fabis mẽtis perturbatio exoritur, uerùm & ingenij acumen plerunque hebetari solet, argumento, quòd in locis, ubi multæ nascuntur, si qui diutius uersantur, quoniam autore Psello uapores mali, & ferè pestilentes ex ijs redduntur, cerebri temperaturam usque adeò lædere possunt, ut rationalis facultas, quæ cerebro in ipso locatur imbecillior inertiorq; efficiatur. Fertur etiã earũ succo tumultuosa nasci insomnia, ꝓpterea Pythagoræos ab ijs abstinuisse.

Et lentes, licet crassi, & mali sint succi, & elephantiam, hoc est, cutis asperitatẽ nigram, melancholicosq; alios morbos, & mala insomnia, si excocta estur, faciant: tamẽ pro medicamento quibusdam in malis pleriq; utuntur: de quibus disserere, nunc locus nõ est, uim nihilominus desiccandi, & sistendi habent: Vnde qui castitatem, & ueneris abstinẽtiam exoptant, lentes cibis admouere debent.

In pisis inflatio minor, quàm cæteris leguminibus, minorq; aperiendi facultas, quàm in fabis existit.

Phaseoli leguminum omnium pessimi, excepta cicercula.

Cicer quodlibet cit lotium, ſed concoctioni contumax eſt, & mali ſucci: magis tamen nutrit, & uentoſum non minus, quàm faba: hacq́; de cauſa uenerem excitare putant, & genitale ſemen calidum augere, ſalſi quiddam, & dulcis etiam habere: quare ex hoc, urinam, ex illo aluum cieri facile eſt. Nigrum cicer aduerſus uenena, & lotij difficultatem, & calculos renum, & ueſicę medicamenti uim habere prodiderũt, & præſertim eorum ius, quod in cibis ſalubriter admitti ſolet. Rubrum cæteris calidius, & craſsiorem humorem gignit, quàm albũ, quam obrem album apud Hippocratem & in cibis, & in medicamentorum ratione, maiore in uſu, quàm cætera eius genera eſſe uidemus. Luridum cicer, ſiue luteum, & columbinum inflat, difficulter concoquitur, & malum colorem facit.

Oryza, quam recentiores riſum appellant, ſatis nutrit, ægrè tamen cõcoquitur, eam Dioſcorides uentrem ſiſtere dicit: alij, autore Galeno, parum conſideratè ciere prodiderunt: ex ea enim, alba mulierum profluuia etiam modicè ſiſti, rubra uerò plurimum, propter ariditatem. Atqui cum lacte condîta oryza, bonum habitum, & colorem parat, & ſemini genitali haud mediocre incrementum adijcere uidetur.

Alica,

Alica, quam recentiorum aliqui far esse putant, & chōdros etiam appellatur, boni est succi, quemadmodum caro suilla, si probè concoquatur, iecurq́ eam in sanguinem uertat. Glutinosi autem quiddam habet, propterea sepit iecur, & renes, qui suapte natura angustos meatus habent: Vnde ex nimio eius usu harum partium grauitatem, & calculum exoriri quandoque uidimus: Quò fit, ut alicam ex aceto, aut pipere, uel porro condîtam tutiorem esse Galenus memoriæ prodiderit.

Cerealia semina cocta, farinaceaq́ pulmentaria omnia, quæ sine fermento conficiuntur, uti sunt lagana, & quæ Romæ uermicellos, & macharones uulgò appellant, & id genus alia, quæ, ut putamus, antiqui communi uocabulo itria, Arabes uerò corruptè atria dixerūt, præterea & quæ ex farina, & musto uindemiarum tempore nostri parare solent, omnia crassi & glutinosi succi sunt, præsertim quæ ex caseo condiuntur. Similiter & placenta torta, quę ex oleribus, seu lacte, ouis, & caseo, & huiusmodi condîtur.

Leguminum igitur & cerealium seminum communis sit ratio, quòd illa melioris succi esse censentur, quæ facilius digeruntur: Concoctioni autem idonea sunt, quæ cum

aqua macerantur(quod eſt leguminum, & ſeminum omnium certum bonitatis experimentum) ocyus & tumeſcunt, & coquuntur: minus etiam noxia ſunt, ſi coquendo quidpiam admittant,quod malas eorum qualitates,& flatum diſcutiat,uel extenuet,ueluti ſi ex pipere, uel allio, uel cæpa, uel calido aliquo olere, etiã pro guſtus ſuauitate condiantur: his nanque modis parata partium cõcoctionibus habiliores redduntur: Quæ concoctiones, ſtomacho, iecinori, & demum membris,ſicut prædictum eſt,maximè perficiuntur. Stomacho autem os, iecinori uentriculum, partibus uerò omnibus iecur alimentum impertiri, & parare indubitatum eſt.

Fructuum omniũ, quos ſeculum noſtrum frequentes habet,nunc ratio eſt habenda:Inter quos cùm pepones & magnitudine, & guſtus ſuauitate,à nobis prȩſtantiores iudicentur,eos primo loco deſcribemus: qui cùm plurium eſſe generum uideantur (alij nanq; pepones, alij uerò melopepones nominant) ij tamen figura tantùm, & quantitate inter ſe diſsidere arbitrantur: Hos nanq; Plinius cùm natiuam magnitudinem exceſſere,pepones appellat: cùm uerò rotundi,mali formam, & effigiem repræſentant,melopepones uocantur. Omnes nihilo minus has ſpecies Palladius rei ruſticæ ſcriptor

ptor luculentus, à malorum figura melones ap pellauit. Quod planè nomen hodie paſsim cun ctí ferè uſurpant. Nec deſunt nonnulli, qui eos etiam ex cucumerum genere, quod nonnun-quam in pepones, & melopepones degenerat, arbitrentur. Melones itaque cùm ſuapte natu-ra celeriter in uentriculo corrumpantur, eaq́ꝫ ex corruptione ſuccus, qui medicamēti uene-nati uim habet, Galeno autore, gignatur, cau-tionem non mediocrem requirunt: præſertim, cùm & in humoris naturam, quē in ſtomacho inueniunt, facilè tranſeant. Ad eos igitur niſi concoctis prioribus cibis, & purgato ſtoma-cho, ſi id opus fuerit, haud accedendum: nec e-dantur, niſi ſemel in die, quoniam in ſtomacho, utpote imbecilli, in poſterum diem uiuere ſo-lent, nec facilè perfici queunt: quamobrem eli-gantur maturi, & dulces, colore rubri, odorati, corruptionis omnis penitus expertes. Cæte-ris uerò potiores ſunt, qui in caudicibus, & in ſolo aridiori ortum habent: ſi etenim minus fri gidi, & guſtu ſuauiores ſunt, magisq́ꝫ lotium ciunt, & tardius putreſcunt. Albi rubris mol-liores, qui ſi præcoces fuerint, non uſqueadeo ſalubres atque ſerotini, qui cæteros craſsitie, & dulcedine præſtare ſolent. In menſis præter-ea præſumuntur, interq́ꝫ edendum (ut pleriq́ꝫ conſueuerunt) deambulandū, ut citius in uen-

triculi imum, ubi concoctio magis proba fit, descendant. Quod ut commodius fiat, alia cibaria statim super eos non ingerantur: quæ etiam boni sint succi, & quàm simplicissima: quoniã eorum uirtute peponis malignitatem, & lęsionem abigunt. Neque dulce uinum, & merum, qđ plerique faciũt, copiosius à pepone bibendũ: ex hoc enim antequàm concoctus sit, à uentriculo truditur, uasculorumque sepimenta, quæ febres plerunque excitant, acquiruntur: Vnde pituitosis cõducit, super eos parum uini bibere, quod tenue & merum sit, biliosis uerò asperum, & acre. Hi præterea peponem ad corium usque deuorent, quoniam illud non facilè corrumpitur: Illi uerò, quod uanidum, & fungidum, hoc est, quod semini proximum est. Quòd si pepones hac ratione ingerantur, eorum concoctio in uentriculo fiet, & boni succi erunt, & æstatis feruorem compescent, lotium, & uentrem mouebunt, ad uenerem etiam tardiores reddẽt, quoniam genitale semen eorum frigiditate hebetatur. Quidam longos rotundis præferunt, quoniam urinam magis ciunt. Pepo autem, qui Saracenicus dicitur (nostri autem Turcicum uocant) frigidior est, & magis udus, propterea febribus, & tertianis, uentriculisque calidis, quando concoquitur, haud inutilis: Contrà qui temperatura frigida, & stomacho

macho frigidiori, & humidiori sunt, eis admodum læduntur. Vtile est postremò, ex pepone, uel caseum Placentinum, uel quid salsi, aut sal ipsum, uel saccarum, ut à corruptione facilius conseruetur, assumere: Neque in cibis post Caniculæ occasum admittatur. Hæc eadem in persicis est ratio, ex quibus membra negantur à medicis nutriri. Et in prunis, & in cerasis, quæ (sicut à non paucis autoribus traditur) si manè recentia cum suis nucleis deuorata sint, aluum tam copiose leuant, ut ex eadem causa etiam pedes morbo impliciti liberentur.

Idem præcepimus in armeniacis, quæ bericoccha, & chrysomela à Romanis dicuntur, Plinio enim inter pruna armenia censentur, & ob longiorem figuram, ea aliqui, & perperam putant esse, quæ nos uulgò cathelana uocamus, cùm ea magis eo nomine uocari credantur, quoniam primùm ex Hispania uenerunt.

Et in moris, etiam in his, quæ in rubis nascuntur: qui fructus (ut uno nomine omnes comprehendantur) ὡραῖοι à Galeno dicuntur, uel quoniam tempestate illa, qua Caniculæ exortus obseruatur, eorum magna pars maturitatis uel principium, uel medium, uel finem admittunt, quod tem-

pus

pus Græci horam appellant, & quadraginta dierum ſpatio eſſe rerum cœleſtium obſeruatores prodidere. Nonnullis præterea hos fructus Horæos appellare placuit, ut ij facilius hac ratione ab illis, qui pro hyeme abſque conditura reponuntur, ſint diſtincti. Triticum enim & hordeum, & id genus fruges, licet tempore ipſo colligantur, quoniam abſque conditura ad annuum uſum ſeruantur, horæa haud uocantur. In illis autem cõſeruatio abſq; condimento uel nulla, uel inſulſa eſt. Conditos præterea diuerſam naturam à recentibus habere indubitatum eſt.

De cucurbita ueteres medici ita ſenſere, ut eam dicerent aquam coagulatam: quæ cucurbita licet parui ſit nutrimenti, boni tamen ſucci ſit, quando concoquitur.

Cucumeres hortenſes, ſi crudi edantur, mali ſunt, omnes nihilo minus refrigerandi uim habent: Vnde calidis temperaturis, & uentriculi, & iecinoris ardoribus mirè ſuffragantur: Lotium ciunt, præſertim eorum ſemina: Pituitoſos morbos, & tormina faciunt: & ſi malos humores in uentriculo reperiant, ab ijs facilè corrumpuntur. Vnde qui cucumeres & cucurbitas ex caſeo, omphacio, & cæpis, & aromatibus, & huiuſmodi parant, eorum iniuriæ conſulunt; ſic enim ea tutius in cibis ad-
mit

mittuntur.

Mala, & pyra plures habere differentias, & ſpecies certum eſt. Quæ dulcia ſunt, & mollia, aliquid habent caliditatis, & citius matureſcunt, & inter horæos fructus reponuntur: quorum autem maturatio ad autumnum producitur, acria & aſpera alterius ſanè naturæ eſſe cenſentur: Omnia tamen ſi cruda edantur, mali ſunt ſucci: quando coquuntur, eorum malignitas, pro maiori parte amouetur: præſertim ſi ex ſaccaro, & aniſis aſſumuntur: Eorum omnium uſus, quoniam multum terreſtris facultatis habent, utilior eſt à cibo.

Zizipha recentia, quæ plerique lotos perperam appellant, mali ſunt ſucci, ægreq; digeruntur, ſiccorum decoctum ad tuſſes, & difficiles ſpirationes facit, & acrium humorum uomitiones ſedat, pectus etiam, renes, & ueſicam iuuat,

Ex malo Punico corpus ali plerique negant, ſed id ad leuandam ſitim utiliſsimum fore prodiderunt: Nam ſi mandatur ſolus ſuccus, à ſtomacho hauritur. Sed cum hactenus de recentibus fructibus haud indecenter (ut arbitror) diſputatum ſit, non alienum fuerit, in præſentia etiam diſſerere, num ſuper eos uel uinum, uel aqua ſit bibenda. Nonnulli ſanè

ſanè exiſtimant, ex liberali, & intempeſtiua recentium fructuum eſitatione, ſuccos, qui morbos facilè gignunt, corporibus parari poſſe: In eis ſiquidem calor, qui dum in arbore pendent, maturitatis cauſam præſtabat, cùm primùm excerpti ſunt, utpote naturali pabulo deſtituti, hebeſcit, & in alienam naturam conuertitur. Qua ex cauſa uel citius, uel ſerius, pro humoris conditione fructus ipſi putreſcunt, & ſuccus ex eis expreſſus ſicut muſtum in uentriculo feruet, & corrumpitur: Vnde nimirum, qui ualetudini ſtudent, fructus innocentiores eſſe exiſtimant, ubi ab eis uel frigidam aquam, uel uinum merum hauſerunt. Hoc nanque ſuo calore, nempe maiori, putredinis calor, qui ab ipſis naſcitur fructibus, haud ſecus, quàm à maiori lumine tenuius, obfuſcatur: Illa uerò, ex innata frigoris, & grauitatis facultate fructuum feruorem commodiſsimè extinguit, & propulſat. Quapropter poſt eorum comeſtionem Ariſtoteles in Problematibus iure merum, & frigidam tutiſsimam eſſe memoriæ prodidit. Nos uerò hanc uentriculo ualentiori, & calidiori: illud uerò imbecilliori, & frigidiori ſecurius concedi poſſe teſtamur.

Olerum

Olerum genera, quodq; eorum materia postularet, si nunc à nobis differerentur, ampliori uolumine id peragendum esset: Quippe cum eorum differentiæ propter nominum & generum diuersitatem inter antiquos scriptores, & recentiores, tam inuolutæ, atq; obscuræ sint, ut illud uerè dici posit, nihil magis tempore nostro desideratum, quàm oleribus ipsis satisfacere. Cùm uerò ociosorum sit (ut inquit Galenus) neglecta rerum proprietate, de nominibus disputare, ad illud unum, quod nostri instituti est, ueniamus. Ea etenim omnia mali succi esse uetustissimi autores memoriæ prodiderunt: & præsertim quæ agrestia dicuntur. Hortensia autem, quoniam medio loco habentur, cùm de rebus boni succi loquemur, scribemus.

Brassica, & præsertim æstiua, malum succum, & melancholicum creat, si discocta estur: Oculorum præterea aciem hebetare creditur, & quietem per contraria insomnia, quæ facit, perturbare, nec non ad alui profluuia remedio esse: Contrà modicè feruefacta aluo idonea, pectus item lenire, & uentrem subducere, præcipuè decoctum ex oleo uel Sabino, uel Tyburtino. Crispam brassicam Cato maxime probat, qua populum Rom. in medicinis sexcentis annis usum fuisse literis mandatũ est. Me-

lior ſtomacho eſt Cyma, ſed acrior, & ad cien- dam urinam ualidior. Aiunt præterea braſsi- cam in cibis præſumptam prohibere ebrieta- tem, poſtea crapulam diſcutere. Scitu etiam di gnum eſt, braſsicam cum pingui carne coctam innocentiorem eſſe. Braſsicæ genus, quod ex pruina, tum ſuauitatis, tum candoris plurimũ accipit, noſtri capitatũ appellant, & id pleriq; eſſe exiſtimarunt, quod Plinius à loco in con- ualle Aricina (ubi fortè uel ortus primordia, uel excellentiam adeptum eſt) Lacuturrẽ uo- cauit. Eo in loco quondam lacus, turrisq; fuit: id hyeme, quo acriori frigore perſtringitur, ci- bis præſtantius fit, difficile tamen concoqui- tur, & mala ſomnia, capitisq; grauitatem, atq; deſtillationes parit. Vnde rarò, præſertim bis cocto utendum eſt.

Ocymum, quod Chryſippus grauiter incre puit, quoniam oculorum claritati, & ſtomacho inutile eſſe exiſtimauit, propterea inſaniam fa cere, & lethargicos: Et tritum, ſi operiatur la- pide, ſcorpionem gignere, ideoq; capras id aſpernari: hominibus quoq; fugiendum cen- ſet. Secuta ætas alacriter defendit, nam id eſſe capras, nec ſcorpionem gignere, nec minus quàm mentã & rutam ſcorpionum terreſtriũ ictibus mederi, & odore deficientibus ſalutare eſſe, & ſomnum conciliare; ſemen uerò cordis

affectib

affectibus, & bilis nigræ triſtitiæ auxiliari: Mali tamen ſucci eſſe, & capiti officere cibis aſſumptum, & malum ſanguinem creare Galenus aſſeuerauit.

Melangianas Ligurum menſæ admodum frequentes habent: calidæ autem facultatis, & ſiccę cenſentur. Earum creber uſus, melancholica uitia ſuſcitat, quapropter mali ſunt ſucci. Ex aceto autem & ſale condîta ſepimenta aperiunt, & mali ſucci maiorem partem amittunt. Eas num ſtudioſorum aliqui recte Mandragoras appellant, me iudice dubitare oportet. Aëria omnia, qualia cæpæ, porri, allia, aſcalonicæ, & his ſimilia, malum ſuccũ gignunt. Nec propter hoc ſolùm, quòd male alunt, ſunt uitanda: ſed quòd tædium halitu, & lachrymoſum odorem referunt, quod plerunq; moleſtũ eſſe ſolet. Hæc omnia, ut odore careant, cùm luna ſub terra ſit, ſeri iubentur, & colligi cùm in coitu. Menander autor eſt, acria hæc edentibus, ſi radicem betæ in primis toſtam ſuperederint, odorem extingui. Nec in medicinarũ uſu hæc cõmoditatibus carent: Quippe inter cætera aduerſus uenena præſentaneo remedio aliquando auxiliari uiſa ſunt callos, uel curatu difficilimos, præcipue in articulis: Cæpa etiã paucis diebus conſumit, ſi prunis ſubcocta eis admoueatᷓ. Hacq; ex cauſa fortaſſe inter Deos

iureiurando allium & cæpam habuit Aegyptus, quæ etiamnum rustici pro theriaca uenerati sunt.

Raphanum syluestrē à satiuo, maiori uiriū facultate distare certum est: hunc radiculam Latini, illum armoratiam uocant. Excalfaciunt, & uentosi sunt, qui ut palato suauiores sunt, ita stomacho magis aduersantur: ructus ciunt, sed aluo aptiores. Galenus præsumptos aluum subducere, & à cibo concoctioni contumaces esse dixit: Dioscorides & Oribasius contrà, summo cibo sumi debere, quò magis eius distributionem adiuuent: antè, cum cibum reiectent, uomitionem facere. Inter grauissimos hos scriptores hanc diuersitatem conciliare facile est: quippe qui stomacho imbecilli sunt, hoc est, qui facilè subducuntur: hi ante cibum radiculam saluberrime mandunt: contrà, uentriculo duriores sumpto cibo. Dioscorides præterea radiculam sensuum aciem excitare scriptis tradidit: Indi ex hac ingenium uegetius fieri, mentemq; non dolosam reddi. Aiunt preterea scorpiones ex radiculæ succo, & aceto aspersos interire, eoq; die, quo quispiam raphanum ingesserit, à scorpionis ictu & ebrietate tutum esse: Tutò etiam uenenata tractare, qui succo hoc manus probè perunxerit: Et capillos alopeciæ

peciæ iniuria raptos cum melle tritum restituere.

Hæc cùm de rebus mali ſucci ſatis ſint, locus admonet, ut ad ea, quæ bonos humores creant, accedamus. In quorum numero ſi aliqua connumerentur, quæ exactè ad bonũ ſuccum non faciant, id planè uenia dignum fore opinor. Nam uti ea cæteris cibarijs permiſcentur, quæ eorum uitium corrigere poſsint, ad bonum ſuccũ facilè rediguntur. Atq; ut olerum materiam ordine proſequamur:

Lactuca, quæ à lactis copia, quam expuit, nomenclaturam accepit, inter olera medium locum obtinere putatur: Cuius cum plura dicantur eſſe genera, ueluti ſunt, Endiuia, Intybus, Cichorium'ue, Cicerbita aſpera, & huiuſmodi, quæ in uiribus tantũ plus, minus'ue diſtare uidentur, de eis ſimul diſſeramus. Hæc omnia refrigerandi uim habent, multò tamen cæteris lactuca eſt frigidior: ſomnum nanque magis conciliat, & calidis uentriculis prodeſt, & bonum ſanguinem gignit. Aiunt præterea, nimio eius uſu, corpus & uiſum hebetari, & aſsiduas libidinum imaginationes in ſomno compeſci, & mirandum in modum uenerem cohiberi. Qua ex cauſa Pythagoræi lactucam Eunuchion, & Spadoniã appellauerunt. Vnde iure religionibus addictis, & quibus cœlebs

uita in primis etiam excolitur, ea cibis frequētissime est exhibenda.

Post lactucas adsunt Maluę, & Fœniculum recens in cibis, & ad exuendam senectam anguibus gratissimum, & ad condienda plurima, cùm inaruerit.

Et Menta, quæ labentem animum odoris efficacia recreat, stomachoq́ nihil concupiscēti fastidium detrahit, adeò ut eius puluis digitis tribus apprehēsus, ex aqua uel uino calido potione datus, omnem stomachi detergat iniuriam, hyemali præsertim tempore.

Et Atriplex, quod Spinachiū nonnulli perperam dicunt, stomacho contrarium, ideo non nisi mutata sæpius aqua coquendum. Meritò igitur à Pythagora accusatum, tanquam faceret hydropicos morbos. Pipere nanq; tutius & passis, & calidis oleribus additis estur.

Et Beta, olerum innocentissima, præsertim candida. Naturam eam insulsam fecisse pleriq; arbitrati sunt, ne ad eam crebrior esset accessus. Stomachum enim malè habere eius frequentiam.

Et Apium & Olusatrum, quod recentiores Apium Alexandrinum uocant: & Petroselinon, omnia stomacho, iecinori, & renibus utilia, & cæteris oleribus permixta, eorum iniuriam adimunt.

Et quod

Et quod Græci Melissophyllon, nos Melissam, & Citraginem uocamus, quòd citrij mali odorē præ se fert: cardiacis, aduersusque uenenatorum ictus mirandum in modum auxiliatur: stomacho, & iecinori etiam utile.

Et quod nos Boraginem, Græci Buglossum appellant: quo in nomine recentiorum plurimi non mediocriter hallucinantur: in cibis enim & medicamentorū ratione maximè utilis, & sanguinem optimum gignit.

Et Lupus salictarius, à nostris Lupulus dicitur, cibis & medicinis maximè idoneus, & sanguinem laudabiliorem gignit, atræque bili inimicus.

Erucam capiti officere autumant, nihilominus eam corpori utilem, quoniam bestiolas omnes corpori innascentes arcet, calefaciendi uim etiam magnam habet. Vnde olus id cùm solum manditur, insuaue est. Contrà conficiendis obsonijs tanta est suauitas, ut eam Græci εὔζωμον, id est, bonum ius, appellauerint: sanguinem preterea multum gignere, unde ueneris concitatricem meritò nuncupauerunt.

Econtrario Nasturtium uenerem inhibet, quod à narium tormento nomen accepisse plerique tradiderunt, suo calore pituitam crassam discutit, unde frigidis temperaturis utile est.

Lauer & Sium: quod nostri Crescionē uocant,

cant, aquis lætatur, in cibis crudum & coctum usurpatur, ad calculos renum frangendos, atque excernendas arenulas.

Asparagus eodem munere fungitur, & magis quam cætera olera nutrit. Cui nullum gratius solum, quàm Rauennate: & ut gustu gratissimus, ita stomacho aduersus est: Propterea modicè coctus ex aceto & pipere tutius administratur.

Scolymon à Cinara, licet plerique scriptorum in uiribus & figura discrimen habere dicant, eò tamen quod proxima certe genera uidentur esse, & tanquam satiuũ à syluestri tantum distare, de eis simul disseremus, cardui nanque genera sunt. Et quoniã inter opera ganeæ frequentes admodum sunt, ut sine ijs, nec magnifica, nec adijcialis ulla sit cœna, non pigebit ea uerbosius prosequi. Cinara hortensis carduus est, cuius folia deligata, & terra obruta, hyeme in cibis cum thyrso gratissima albescunt. Scolymon eum carduum esse cõstat, cuius caules pineas gestant. Ambo calefaciendi facultatem habent, calculos, & urinæ impotentiam discutiunt: stomachum etiam & appetentiam iuuant. Alij stomacho nocere existimarũt: quorum fortasse opinioni accedendum: Cum carduus ipse durescit, quoniam ligneæ tunc substantiæ fit, & humorem biliosum, & acrem, &

melan

melancholicum creat. Et propter hoc per uernum tempus eius pinea, aut radicis pars tenella, cocta in iuribus, aſparagi modo conuiuijs adhibetur. Hunc Ligures Arcoccũ, & ad hominis utilitatem inuentum plerique exiſtimarunt: argumento, quòd natura aduerſus quadrupedes aculeis eòs munierit, ut ad maiorem luxum humana gula conuerteretur. Accedit, quòd ſine interuallo tota æſtate aliud floret, aliud cõcipit, aliud parit, ut mortales toto tempore illo eius cõmoditate non careant. Quippe tunc mulieres autore Heſiodo ad uenerem creduntur proniores: Contrà uiri admodum pigri, qui prouidentia naturæ hoc adiumento tam ualenti maximè iuuari poſſunt. Quandoquidem earum decoctum ex uino, uenerem multum ſtimulare prodiderunt. Eſt & alia cauſa, qua patrocinari fœminis poſsit: quoniam carduus matrici utiliſsimus eſt cibus. Glaucias quoq; ſcribit cardui cibum adiuuare, ut maſculi procreentur. Ex quo nõ adeò mirum, carduum fœminis ambiri. Vnde ob diligentiorem culturæ rationem, humana ſolertia id exquirente, factum eſt, ut non carduorum pineæ tantùm, ſed radices etiam, & caulis, & folia per totam hyemem, quum cætera interierunt, cibis admittantur. Qua arte prouiſum eſt, ne quis omnino ſine carduis dies eſſet.

Et Napi, & Rapa, quæ Democritus planè abdicauit à cibis, propter inflationes. Et Diocles magnis laudibus extulit, uenerem maximè ſtimulari ab eis profeſſus, magisq́ſi eruca condiantur: boni ſunt ſucci, appetentiam ſuſcitant, & inguinũ tumoribus peculiari quadam proprietate medentur. Salubriores præterea ſunt, ſi ex aniſo, pipere, aut fœniculi ſeminibus condiantur.

Quod Græci Daucon, nos Paſtinacam, & radicem, quam nos Carotam dicimus, Caron aliqui, alij Siſaron apud Dioſcoridem eſſe putarunt. Nos Fabio Caluo Rauennati accedimus, qui ut Græcè & Latinè doctiſsimus, ita in uertendis Græcorum nominibus ſolertiſsimus, Caron, Carotam noſtram eſſe, & Pauli, & Athinæi teſtimonio aſſeuerauit: Proxima enim genere, ſunt Carota, & Paſtinaca, quæ minus alunt, quàm rapa, & ægrius concoquuntur. Ad menſes tamen eliciendos, mulieres ex melle maxime utuntur. In cibis coctæ, & ex pipere, & aromatibus conditæ uſurpantur, eoq́ modo deuoratæ ad bonum ſuccum faciunt.

In genere pomorũ Ficus ampliſsimæ ſunt, quæ recentes & pręmaturæ, abunde nutriunt: nec eouſque mali ſucci ſunt, ac cæteri fructus. Ad uentris præterea deiectionem, arenularumq́ à renibus excretionem, mirè præſtant.

Et si non probè concoquuntur, in uentriculo flatum faciunt. Vnde in cibis præsumuntur, ut ocyus uentriculum transigant. Et propter hoc post ficus frigidam bibere, auxilio esse plerique existimarunt, rati caliditate uini, eas in uentriculo durescere, propterea ægrius cõcoqui, quod planè, sicut plerunque experientia uidimus, fabulosum esse testamur.

Ficus aridæ, quæ & Caricæ uulgò dicũtur, salubritate uiridioribus præferuntur: bonam etenim habitudinem faciunt, præsumptæque aluum deijciunt, maximè si uerno tempore, ex recenti rosa condiantur: Si uerò celerius non digerantur, bonum sanguinem non gignunt: propterea, si ad satietatem usque crebrò assumãtur, scabiem & pediculos parere crediderunt. Galenus scripsit eas ex amygdalis, uel iuglandibus comesas, lienis, & iecinoris obstructionibus, aduersusque uenena mederi.

Vuas maturas minus alere, quàm ficus celebres medici prodidere, & eas nihilominus ad succi bonitatem facere: nigras uehementiores, ideoque uinũ ex ijs minus iucundum. Suauiores albas, recentes stomachum & spiritum inflant, aluumque turbant: itaque in febribus largiores damnantur. Innocentiores, quæ decerptæ diu pependerunt: qua uentilatione etiam utiles fiunt stomacho, ægrisque: nam refrigerãt

leuiter, & fastidium auferunt. In paleis seruatę, secundum locum tenent. Maximum bonum in uuis est, quòd uentriculum quàm primum transeunt: unde ad nutricationem, quæ magis succo abundant, non usqueadeo idoneæ, ac duriores erunt. Carnosæ enim, id est, quæ minoris succi sunt, ut suauiores, ita stomacho magis salubres. Dulces uuæ calidiores, acres frigidæ: immaturę, ex quibus omphacinum uinum fit, stomacho, & ad alui fluxiones accommodatæ. Vua passa (cui à patientia nomen inditum esse plerique arbitrantur) stomachum, uentrem, & interanea tẽtaret, nisi pro remedio in ipsis acinis nuclei essent, ijs exemptis, uesicæ utilis habetur, & tussi, alba & pinguis utilior. Iecinori tamẽ calefacto inimica: eius nanque calore sanguinem adurere plerique existimarunt. Vnde ex aceto cocta, uentriculi, & iecinoris ardoribus innocentior censetur.

Ex passis, uinum passum fit, & optimum in Italia mõtibus Ligusticis, ex uuis sole siccatis in area, uel in sarmento retortis racemorũ pediculis. Quod à ualetudine se recolligentibus, & magnis animi defectionibus ad uires recreandas maximè utile: recentiores Vernaciam appellant, à Vernacia fortasse oppido in montibus ipsis Meridiẽ spectante, ubi optima nascitur: quod oppidum Veneris portui admodum pro

dum pro

dum propinquum, ubi olim Deæ ipſius phanum, inter cætera celebratiſsimum perſpiciebatur. Vnde nihil mirum, ſolum id, licet ſaxis horridum, in honorem Deæ Veneris uinum adeò celebre atq; generoſum producere.

In Cydonijs frigidum eſt, & ſiccum temperamentum, hacq; ex cauſa ante cibum ad roborandum uentriculum, & alui aſtrictionem aſſumuntur, ſicq; ingeſta, ægrè concoquuntur, & tormina ſuſcitant. A` cibo contrà, aluũ ſubducere, & præſertim cocta cinere calidiſsimo, & farina inuoluta, aut ex melle, uel ſaccaro, & aromatibus condîta: quod condîtum priſci medici Diacydonion uocare conſueuerunt: Id enim peculiari quadam uirtute caput à uini fumo tueri, & uentriculi concoctionem iuuare arbitrãtur, & aluo fluenti mederi, ſi præſumitur. Aiunt poſtremò, ſi prægnans crebrius hęc deuoret, partum ingenioſum, & aſtutiorem futurum.

Meſpila, ſorba, & quæ Arabes azur, noſtri uerò azariola, uocant, meſpilorum certe, ut putamus, genera, quandoquidem non ratione cibi tantùm, ſed tanquam medicamento utimur: ad uentriculorum auxilium poſt cibum ſumuntur.

Mala medica, & Limones, & Citria mala, & huiuſmodi generis, licet in medicamentorum

ratione

ratione connumerentur, eorum tamen ſuccus, & corium, condimentis cibarijs uſurpantur, & boni ſunt ſucci.

Nuces iuglandes uirides uentrem ciunt, ex quo plerique ante cibaria ex rubro uino infuſis ueſcunt, meliusque digeruntur, quàm amygdalæ: Siccæ lancinãt os, & inflammãt, & tuſsi & capiti officiunt, neque boni ſunt ſucci, quoniã calidis temperaturis in bilioſum humorẽ uertuntur. Stomachi quidem frigidi facilè eas digerunt. Omnes Mithridatis tamen Regis exemplo iuglandem ex arida ficu, & folijs rutæ decem, & ſalis grano ieiuno ſimul deuoratam aduerſus uenena omnia antidotum eſſe prodiderunt.

Piſtacia calida, & parui ſunt nutrimenti, iecinori tamen conferunt. Galenus ait, ea ſtomacho neque prodeſſe, neque obeſſe: recẽtiores uerò bona eſſe, & à uenenatis percuſſos tueri: ſanguinem item tenuiorem gignere, & ad uenerem proniores facere.

Pinei nuclei ſatis nutriunt, ægrè cõcoquuntur, calidi & craſsi ſucci ſunt, caput grauant, & ſanguinem nihilominus optimum faciunt.

Amygdalæ recẽtes optimi ſunt nutrimenti: ſiccæ capiti nocent, difficile concoquuntur, pectori tamen & pulmoni auxilio ſunt. Et ſi quis ieiunus eis utatur, temulentiam eius diei

auertere,

auertere, nec timere putant.

Auellanæ calidæ ſunt, & magis nutriunt, quàm cæteræ nuces, difficile tamẽ concoquuntur: inflant, & capiti, præſertim recentes, & ieiuno inteſtino officere arbitrantur. Abſq; tamen interiori cortice, & toſtæ ingeſtæ, meliores ſunt: capiti & deſtillationibus à cibo proſunt: Et ex ruta aſſumptæ à ueneno, & à uenenatis animalibus tutos reddunt: & ex aridis ficis à ſcorpione percuſſum ſanare, & nigrum uirus à uentriculo pellere prodiderunt.

Caſtaneas primi ordinis caliditatem habere ſcripſerunt, multumq; alere, & craſsi ſucci eſſe, & tardè ad partes tranſire: inflare item, & capiti officere, & ad oppletiones, atq; tormina inutiles. Vnde illis tantum quibus exercitationis ratio uehemens eſt, pro cibo miniſtrentur: torrefactæ, uel ſiccæ læſionis maiorẽ partem deponunt, propterea aduerſus uenena pleriq; eas admiſere.

De Palmulis, quandoquidẽ noſtri pro medicamento tantum utũtur, pauca diſſeremus. Mali etenim & craſsi ſucci ſunt: autore Ruffo, nimium harum uſum ueſicam afficere, & percutere certum eſt. Cum nucleis uerò pineis, ſi ſumãtur, fauces & pectus lenire, corporiq; bonum habitum parare, præſertim his qui frigida ſunt temperatura: ſed omnes ab his abſtineant,

neant, qui facilè sepiuntur, & qui anginæ, & dentium doloribus obnoxij sunt.

Inter carnes, & ad ganeæ illecebras, & ad salubritatis commodum, lepores plerique præstantiores esse existimarunt, gratioresq́ue, quò partui fuerint propinquiores: Ganeones uerò fœtus uentris exactos, uel uberibus ablatos, inter opera gulæ q́ue celebratissimos. Quippe, cùm lepus ipse sicciore sit temperatura, tenellus succi esse salubrioris in aridis corporibus iudicatur: Contrà, grandiusculus, cui humidũ suapte natura abundat, magis utilis. Neq́ue in medicinis usus mediocris, ꝑpter quod in hoc naturę benignitatem facile intueri est: quæ (ut in hominum cõmoditatibus solertissima) innocuum fœcundissimum animal generauit. Nam alium fœtum educat, alium in utero pilis uestitum, alium implumem, alium inchoatum gerit.

Post leporem adsunt capreoli, cuniculi, hinnuliq́ue, qui omnes leporis similem ferè naturam habere creduntur: cibis nanq́ue salubriter admitti possunt. Nam quoniam aëre sicciore, & exercitatione maiori, quàm domestica animalia utuntur: ut melancholicis aduersa, ita cæteris temperaturis utilia sunt. Vnde cõducit, pro naturæ, & temporis qualitate ea uarijs condimentis parare.

Ad hæc

Ad hæc accedunt Vitulinæ carnes, Agninæ, Hœdinæ, & Porculi, præsertim media in ætate: quæ carnes, quādo uidelicet partui propinquæ sunt, humori plurimo abundant: Ideo assatæ, aut calido aliquo condimento paratæ, cibis tutius ministrantur.

Gallinæ etiā & pulli gallinacei omnes, præcipueq́ iuniores, & adhuc ueneris expertes, optimi sunt succi.

Caponum, uel altilium frequens usus non parum cautus esse debet, ut plerique existimarunt, illis præcipuè, qui morbo articulari obnoxij sunt. Nam ex nimia eorum ingestione, quoniam podagra plerunq́ hæ aues aguntur, pedum & articulorū labores suscitari crediderunt. Nos ob id uitium, gallinaceos pedibus laborantibus inutiles esse haud putamus: sed ut in cæteris summam omnium rerum, uel salubrium repletionē comitante desidia, ægris sanisq́ semper perniciosam.

Nec earum auium salubritas, quæ à Plinio (ut putamus) externæ uocantur, silenda est, quas nonnulli Perdiçes, & Starnas nostras esse existimarunt: Et quæ à multis uulgò Coturnices appellantur (cuius rostrum, & pedes roseo colore insignes sunt) eas nanq́ antiquorum Perdices putamus esse, quarum libidine inter cæteras aues nulla maior esse censetur.

Et Phasianæ, quæ olim in Italia rarissimæ, nunc uerò usque adeò passim excreuisse uisun tur, ut nullo in honore, uel popularium cœnæ esse uideantur, ubi aues ipsæ non apparentur.

Et Columbæ, præsertim feræ, quò iuniores, eò præstantiores sunt. Domestici uerò crassiorem sanguinem gignunt: Vnde eorum nimio usu, plerunque febres, & lepra suscitantur. Ad uenerem nihilominus faciunt, & ueris & autumni tempore cibis tutiores admittuntur.

Palumbes, si per hyemem diu maceratæ ingerantur, neruorum uitijs utiles sunt, earum præsertim pulli, qui solstitio optimi iudicantur.

Et Pauones, qui licet ægrè concoquantur, si tamē diu macerati fuerint, ad succi bonitatem faciunt. Neque illis accedendum, qui Pauonis carnes annum absq; putrefactione conseruari posse existimarunt.

Et Turdi, & Merulæ, & Turtures, & Hortulani, qui fortasse eæ sunt, quę à Varrone Miliaricæ aues appellantur, à milio scilicet quo maximè ad saginam farciuntur.

Et Galeritæ, quas Galli Alaudas uocant.

Apodes quoque quibus nulla sit requies, nisi in nido.

Et Hirundines, cæteræq; auiculæ, quæ nemoribus degere solent, quarum salubritas inter

ter cæteras aues præſtantior eſſe ſolet.

Ad bonum præterea ſuccum faciunt piſces, præſertimq́ eorum caudæ, qui littoribus & alto mari degunt, ac præ cæteris, qui ſquamis, & corporis mediocritate prępollentes, ſicuti ſunt Gobij, & qui Græcis, & Romæ Trigla dicitur, à Cicerone uerò in Paradoxis, Barbatulus piſcis, & à Varrone Mullus barbatus: & Fragolini, quos Pagros eſſe exiſtimamus: & Scombri: & quos Lacertos ueteres uocarunt: & Coracini, quos Coruos: & quæ uulgò Trottæ & Carpiones dicuntur. Et qui è mari ſubeunt ad dulces aquas, & curſu exercitantur, ueluti ſunt Lupi, quos Spigulas uocant: Mugiles item, Aloſa, Clupeá ue, quæ Laccia Romanis, Liguribus uerò, & pleriſq́ alijs Chieppa uocatur. Nec non & piſces ſaxatiles, pura & limpida aqua, & currenti paſcentes: cæteriq́ alij parui, quorum in numerum accedunt, quos Romæ Frituras appellant, glutinoſitate, malo odore, & malo guſtu carentes: quorum piſcium cum non parua ſit differentia, ſatis fuerit de eis carptim diſſeruiſſe, arbitrantes huius noſtri laboris ſtudioſos in Pauli Iouij Nouocomenſis, & Franc. Maſſarij, & Maſſarij Veneti uoluminibus, quæ de Aquatilibus hac noſtra ætate non minus ſcitè, quàm luculenter ediderunt, uerſatos eſſe.

Oua præterea modicè cocta, quę sorbilia uocantur, ad faucium & pectoris asperitudines utilia, boni succi sunt.

Et alæ uolucrum, & partes quæ defatigantur, & exercentur.

Pulli item gallinacei, & pecudum iuuencularum iecur & testes, præsertim quando uenerem non admiserint. Hæc enim superuacanea, & superfluitates non gignunt, & optimè nutriunt.

Et mammæ cùm in se lac habent, quæ ubera dicuntur, crassi succi edulium est: uerùm si animal bene pastum fuerit, earum cibus multum nutriet, & boni succi erit.

Coriandrum calfactoriam habere facultatē Hippocrates prodidit, hacq; ex causa sistere, cruditatemq; discutere, & somnium conciliare ultimo comesum. Alij refrigeratricis potestatis esse. Galenus autem his posterior, austeritatis quiddam frigiditati prudentissimè immiscuit. Stomacho & capiti à cibo ingestum auxilio esse asseuerauit, pręsertim si prius ex aceto, aut malorum Punicorū succo, ut pharmacopolæ nostri temporis parare consueuerunt, eius uenenosa qualitas emendetur. Genituram item adaugere plerique existimarunt. Ne tamen largius sumatur cauendum est maximè: mentem nanque non sine periculo mouere, su-

spitione

ſpicione non caret. Ideo prudentis eſt tempe-rare,ne de auxilio fiat uenenum.

FINIS PRIMAE PARTIS.

INCIPIT SECVNDA.

HAEC in uictus ratione perpetua eſſe debent. Quæ autem in quatuor anni tempeſtatibus, Vere,& Aeſtate, Autumno, & Hyeme uidentur obſeruãda, paucis perſequemur, & à Vere,ſicut ſuprà recepimus, exordiemur.

Vernum igitur tempus, licet ſaluberrimũ, minimeq́ exitioſum ab Hippocrate ſit appellatum,id tamen perpetuò uerum non eſt:quoniam plerunque cõtrarium accidere uidemus: Quippe anni tempeſtas,quæ calida eſt, & humida (utpote quæ putredini maximè patet) morbos ſæpe quàm grauiſsimos parere ſolet. Hyeme præterea, in qua calor intendens uſque adeò fortis eſt,ut cibaria,uel materiæ ualentiſsimæ probè concoquantur,ſanguis abundantia,& craſſus humor,qui à Praxagora glutinoſus dictus eſt, neceſſariò gignitur: quibus ſuccis Veris tẽpore fluxibilioribus factis,cùm ſe mouere cœperint, uel naturæ aliquando imbecillitate,uel copia,homines grauiſsimis plerunq́ morbis infeſtari, uel ſubito interitu tolli cõſueuerunt. Sanum igitur Ver,ac morbis, ſupra cęteras anni partes minus obnoxium ſcri-

ptis prodidit Hippocrates. Quippe cum æstas calore feruentissima sit, nil mirũ, si in ea febres uel ardentes, uel tertianæ, uel continuæ, uomitus etiam, & alui deiectiones, & id genus exoriantur. Et per Hyemem ob ingentẽ frigiditatem, capitis dolores, tussis, faucium, & laterum affectus, grauedines, ac destillationes. Et in Autumno pestilentiæ, febres incertę, lienis & iecinoris dolor, aqua inter cutem, tabes & huiusmodi: quandoquidem autumnus maximè uarius. Eodem nanq; die, quandoq; frigus, quandoq; urget calor, tempusq; id æstiuũ sequitur, quod eos prǽsertim, qui æstate ipsa malo uictu deterioris succi alimentis pleniores facti sunt, ad maximum exitialium morborum periculũ disponit. Qua ex causa, Ver sanũ rectè appellatum esse censemus, cui magna insit tempestatis æqualitas, quæ omnium optima est: Contrà pessima, quæ uariat maximè. Quò fit, ut quẽadmodum Autumnus plurimos opprimit, ita Ver sanet: In quo, cũ suapte natura humores ad sanguinis motum calore temporario suffragante agitari consueuerint, eorum plenitas, ne officiat, cauẽdum est. Purgatio igitur alui, peracto æquinoctio pro assidentis medici consilio profuerit, & sanguinẽ etiã mittere, si opus fuerit: Ex cibo quoq; cui hyeme assueueramus, aliquid demere. Adijciendum tamen quippiã

est

eſt potioni, ſed dilutius bibendum. Salernum tunc optimum, Albanum, Surrentinum, & aliquando Græcum, quod plerique Pompeianum fuiſſe Plinio autumant, & Corſicum tenue, frequentius tamen Romanum, & eiuſdem generis uitellinam carnem edendum, & hœdinam, magiſque olera. Aues præterea ueneri addictas Vere proſpicimus: quæ ut cibo inſuaues, ita inſalubres cenſentur. Sed iam tranſeundum ad aſſa ab elixis: ſaxatiles piſces, & laccia ſalubris: tunc enim uſque eò Tyberinis aquis pingueſcit, ut inter cæteros piſces in ganea palmam facilè mereatur. Animus præterea modò uariarum lectionum ſtudio, quæ maximè placeant, relaxandus, modò cantu, aliquando iocis urbanioribus, & muſicis oblectamentis, & amicorum conſuetudine. Iuuat quoque interdum ruri eſſe, & uarijs colorum picturis, qbus Ver ipſum luxuriat, delectari. Sed quoniam ad ſanitatem tuendam maxime facit exercitatio, non inutile fuerit, hoc in loco de ea copioſius aliquanto diſſerere.

Eſt nanque exercitatio, Galeno autore, motus uehementior: terminus uehementiæ eſto anhelitus immutatio. Quando igitur ex motu aliquo quis magis, celerius´ue, aut crebrius reſpirare cogitur, huic certe tantus motus exercitatio fuerit, labor ab ijs diuerſus eſt: Quippe,

pe, cùm & qui fodiunt, & qui metunt, & qui equitant, non laborant modò, ſed ut etiam ualde exerceantur neceſſe eſt. Clarum itaque eſt, exercitationem ad tuendæ ualetudinis rationem præſtare, utpote ad bonam corporis habitudinem, & genuini caloris augmentum, & ſpiritus citatiorem motum, & reliqua omnia priuatim commoda, quæ exercitatione ipſa perficiuntur. Sicut proba partium præparatio, ut & affectionibus potenter reſiſtant, & ad actiones reddantur fortiores: Præterea ut alimenta ualidius attrahant, promptius immutent, & uberius deinde reficiantur, propter inductum à forti motu pulmonis calorem: Cuius affectus beneficio, & ſolida molleſcere, & uda tenuari, & exiguos corporeæ molis meatus laxiores fieri uidemus. Atqui ſi exercitatio hæc præſtat, haud difficile ſanè fuerit, tempus ſtatuiſſe, quod commodiſsimum fuerit: quum heſternus cibus & concoctione, & digeſtione iam prorſus ſit confectus: Et ea ſcilicet, quæ in uentre, & quæ in uaſis ſanguinis agitur, ac iam denuo cibandi tempus inſtet: Prius autem, uel poſterius facta exercitatio, cruditatis, & pallidæ bilis copiam parere conſueuit. Huius nanque temporis nota, color eſt urinæ, quæ cum aquæ

ſpeciem

ſpeciem præfert, crudum adhuc in uenis eſſe indicat humorem eum, qui à uentre ſummittitur: Quæ uerò ruffa, bilioſaq; eſt, iandudum concoctum eſſe huiuſmodi ſuccum: Quæ modicè pallet, peractæ modò ſecundæ concoctionis eſt ſignũ. Exercitationibus præterea omnibus cõmune eſt, quòd animantia ex ſeipſis calorem efficiunt auctiorem. Proprium uerò eſt, quod per ſingula genera diſcernitur. Vehemẽs enim, id eſt, uiolenta exercitatio, neruos, lacertosq; robuſtiores reddit: huiuſmodi ſunt fodere, magna onera attollere, ſiue in eodem loco quis maneat, ſiue paululum progrediatur. Item ſi quis quantum maxime poteſt, deambulet. Huius quoq; generis ſunt apprehenſum manibus funem ſcandere, atq; alia complura. Veloces exercitationes ſine robore, & ſine moleſtia ſunt, ut curſus, ut ſciomachia, id eſt, umbratilis pugna, & quæ ſummis manibus apprehẽſis fiunt certamina, ἀκροχειρίσμοὶ Græcè dicuntur, uel folle, uel parua ſphæra ludere. Eſt etiã, ubi componitur exercitatio, ex robuſta & ueloci, ut ſi quis robuſtis exercitationibus uehementer innixus uelocesq; motus addiderit. Ex uehementi etiã, & ueloci exercitatione, ſi quando aliquid demere contigerit, mediocris, leuis ue exercitatio fuerit, quam relaxatoriam recte appellare poſſemus. Ea etenim poſt uehemen

hementem, & uelocem, aut multam animi lassitudinem, uel uesperi ante cœnam idonea est. Præterea per exercitationes quasdã, aliis lumbi potius, quàm manus, aut crura laborãt, aliis thorax, uel spina, uel pulmo: quorum omnium exercitationũ differentias ponere, ut prolixum nimis, ita parum iucundum, aut utile arbitramur. Tandiu nihilominus exercitationi indulgendum est, quo ad tumorẽ corpus attollitur, & rubescat. Et motus firmi, æquabiles, & faciles sint, atque sudor uapori uideatur commisceri. Quiescẽdum autem post exercitationem, donec ex prædictis aliquid mutabitur, ueluti si detumescit corpus, si coloris pulchritudo uariat, sudoris quoque si uel qualitas, uel quantitas à priori diuersa est, ut si minor, uel frigidior sit: tunc enim ad sumendum cibum tempus aptum erit.

Inter exercitationum genera frictio etiam ascribi solet, quæ ubi corpus infirmũ est, & ad motus impotẽs, exercitationis uicissitudinem supplet. Quæ frictio uaria, quàm maxime ex manuum iniectu, circumactuq; esse debet, ut uniuersæ, quoad fieri potest, musculorũ fibræ omni ex parte fricentur, ita ut nec supernè modò deorsum, aut infernè sursum, eam adhibere oporteat, sed etiam tum in subrectum, tum in obliquũ, tum in transuersum, tum in subtransuersum.

uerſum. Ex tranſuerſa nanque frictione, quam aliqui rotundam appellant, corpus durari, denſari item, & contrahi, & conſtringi arbitrantur. Contrà ex recta rarefieri, laxari, molliri, & reſolui: Quarum frictionum omniũ uis ab Hippocrate, libro, quem κατ' ἰητρεῖον inſcripſit, facilè eſt intueri: Vbi ex uehementi corpus durari prodidit, ex molli ſolui, ex multa extenuari, ex mediocri craſſeſcere. Ex quo facilè colligi licet, multa frictionum genera, ex una tantum cauſa pendere, quæ demit: Quippe ea aſtringere cenſetur, ſi quod interpoſitã mollitudinem effecerat, dematur: & mollire, ſi detrahatur, quod duritiẽ creabat: extenuare autẽ, ſi quod craſsitiem induxerat, digeratur. At partiũ repletionem non ipſa frictione, ſed eo cibo, qui poſtea ad cutẽ digeſtione quadam relaxatam penetrat, fieri non dubium eſt. Frictio pręterea eſt aut multa, aut minima, aut mediocris: Et earum quælibet pro ingruẽtis neceſsitatis occaſione, & uehemens, & lenis, & mediocris. Igitur hæ tres frictionum differentiæ, à quantitate ſumptæ, & tres à qualitate acceptæ, nouem coniugationes efficiunt, ut ſi quis animaduertat, intueri facilè licebit: Quippe frictio quæ multa eſt, & uehemens, & lenis, & mediocris eſſe poteſt. Minima item eodem modo & uehemens, & lenis, & mediocris. Similis quoque

ratio

ratio mediocris frictionis est;quæ omnes simul collectæ, sicut diximus, nouem coniugationes facere uidentur. Nimias exercitationes uariæ plerunque lassitudines sequuntur, utpote ulcerosa,quæ ob excrementorum tenuium,acriumq́ plenitudinem constat.Et tensiua,quæ ob flatum, uel excrementorum lentorum copiam in musculis,& neruis retentam, quibus maxime excrementis nerui, musculiq́ tendi uidentur.Et inflãmatiua, quam Galenus Phlegmonæ similem dicit,recẽtiores uerò apostemosam appellant,ex qua ob nimiam musculorum excalfactionem excrementa circumiacentia ad neruos & tendones copiose attracta sunt, qua exuberantia,nerui,tendonesq́ adeò replentur, ut cõuulsionis speciem habere uideantur. Qui musculi cum suprà quàm expedit siccantur, quartam lassitudinis affectionem, quam arefactiuã uocant,parere consueuerunt,qua ad motus corpora maximè pigra redduntur,ac squalida,ut contracta uideantur. Vnde in ulcerosa auxilium esse solet uehemens frictio, quæ ex multo oleo fit, in quo nulla astringẽdi facultas esse debet, utpote Sabino, & Tyburtino: Ex qua frictione,excremẽta,quæ id efficiunt,optimè demuntur. Tensiuæ, lenis frictio, quæ ex dulci etiam oleo fit,auxilio est, requies item,& multa animi tranquillitas, & lauacrum ex ca-

lida

lida & temperata aqua. Inflammatiuæ uerò sanguinis missio, & alui purgatio remedium est, & tensiuarum partium remissio, & ardoris refrigerium, quod tenui, recreatoriaq; frictione, ex multo oleo tepido fit: & in balneo etiam temperato longa mora. Quartæ postremò lassitudini, quies salutaris est, & frigidæ balneum: in quo diu minime est immorandum: & recreatoria etiam frictio cõuenit, & modica deambulatio, & subtilioris, leuissimæq; materiæ cibus. His itaque in uniuersum de exercitationibus propositis, utile fuerit de singulis in qualibet anni tempestate seorsum differere.

Vere itaque ipso, exercitatio & matutina, & uelox esto: Ea etenim est, quæ modò equo, modò pedibus fit: aliquando uel folle, uel parua pila, aut similibus. Proderit & interdum uel lenis, uel mediocris partium corporis fricatio, & balneum modicè calidũ, & maxime si exercendi facultas non aderit. Id tamen in exercitatione, balneo, & frictione perpetuò obseruandum, ut ad ea eundum non sit, nisi prius & uentris, & uesicæ excrementa reddita sint. Quies præterea à cibo semper utilis, aut certe lenis deambulatio. Nam quemadmodum ad sanitatem tuendam, maximè facit exercitatio ante cibum, sic post omnis agitatio maximè nocet. Sciendum tamen est, quòd neque ex nimio labore

bore ſubitum ocium, neque ex nimio ocio ſubitus labor, ſine graui noxa eſt.

Aeſtate, & cibo, & potione corpus ſæpius eget: Ideo cibum qui prandio, & cœna aſſumitur, trifariam diſpertiri commodum eſt. Meridie itaque uel recentes fructus, uel malum medicum ſapore mixto, uel panis elotus, aut ex auſtero uino maceratus, & aliquid huiuſmodi pro merenda utile erit. Nam ut ſæpius cibo, ſic exiguo utendum eſt. Eo tempore etiam aptiſſima ſunt, & caro hœdina, & uitulina, & ueruecis bimi; pullaſtrina item, & cęterarum auium, & animalium iuniorum; Præterea & olera omnia, quæ refrigerant, maximè & balneum ex dulci aqua: præterea aromatum uſus minimè tutus eſt: Licet tamen & raro, & pauco cinamomo uti. Conducit etiam frigida potio quàm dilutiſsima, ut ſitim tollat, nec corpus incēdat. Hacq́; de cauſa Setinum uinum, quod nunc Terracinenſe dicitur, idoneum eſt, quo cibi, autore Galeno, cōcoqui facilè coguntur, & quod uulgò Marſicanum appellatur: Id enim antiquis Maſsicū fuiſſe opinor: à Campania enim, & Picentinis petitur: nunc uerò ſanctum Seuerinum nuncupatur, & quod ab aſperitudine Aſperinum, & Sabinum, &, ut inquit Galenus, Nobile Tyburtinum. Quæ omnia priſco tempore inter auſtera, & ſalubria illis præſertim, quibus

quibus ſtomachus amara bile uexatur, numerabantur.

Fructus prꝗterea, quos ſuprà boni ſucci eſſe ſcripſimus, dum tempeſtiuè deuorentur, cibis tutò admittuntur: Peponesq́ præcipuè, ſuper quibus Pompeianum uinum, quod Græcum diximus appellari, & Corſicũ tenue meracum, ſed modicè ſumptum, ſalubre aderit. Calores æſtiui maximè uitandi ſunt: triclinium igitur & camera, in quibus uerſamur, frigoris & luminis copiam habere debẽt, Orientemq́ reſpicere. Quæ loca ex frigida ſæpe, aut roſacea, & ex aceto aſpergantur. Frondes quoque ex uitibus, ſalice, arundinibus, & huiuſmodi quotidie ſubſternantur. Exercitatio præterea uel nulla, uel quàm leuiſsima, & matutina ſit. Frictio tamen leuis ſummo mane facta, aluo prius & ueſica ab excrementis leuata exercitationis gratia utilior, cibus frigidiori hora ſumendus, niſi publica incõmoda (quando ſic melius appellantur) id uetent: Nam æſtate inediam pati, ut moleſtum, ita inſalubre eſt. Sed præſtaret q́ maximè à grauioribus urbis moleſtijs animo aberrare, dum Caniculæ ardores imminent, opaco ſcilicet, umbroſiori' ue loco aliquo uel in Campania, uel apud Sabinos, uel Latio, aut Tuſculano ſolo, ubi ſumma aëris clementia, & amicorum conſuetudo, & commeatuum copia,

pia,

pia, & uenationis facultas maximè pateat. Ea etenim sunt Alba longa, Velitra, Tybur, tum clemẽtibus flatibus, tum frigidarum aquarum fontibus insigne: Ocriculum item, & Sutrium, & inter primas Capralyca, quæ & frigore, & salubritate præstantior est: ubi fontes adsunt egelidi, secessus umbrosiores, uina & colore iucunda, adeoq; algentia, ut ni prius sole temperentur, cibis tutò admitti non posśint. Ad hæc Herculis Rangoni Cardinalis, ut dignisśimi longiore uita, sic amplisśima, seculorum immortalitati commendata monumẽta, & ad arcendos æstatis feruores, & ad commodum maxime idonea, ubi & æstiuare, & urbanitates deponere, & modò iucundis lectionibus, modò genio indulgere, & noctes admodum quietas, & faciles ducere poteris. Quæ si casu aliquo insomnes fuerint, tunc meridiari tutò licebit. Somnus autem nocte horarum septem esse debet, interdiu unius, uel ad summũ alterius.

Hac igitur ratione leuatis caloribus, Autumni pericula propter magnam cœli inęqualitatem facilè uitabuntur: eoq; facilius, si occidente Perseo, Calendis scilicet Septembris, aliqua iam aëris tẽperie ab imbribus facta, aluus medicamento deijciatur, uel saltem duodecimo ab æquinoctio die id efficies: Vtroq; enim æquinoctio, solstitijq; tempore, & bruma, quibus

bus tempestatibus uariæ aëris mutationes corpora ualde perturbare solent, aluum pharmaco ciere, secare, urere item, aliaq́ue permulta facere, quibus corpora affici maximè consueuerunt, ut insalubre, ita plerunque exitiosum esse, diuinus Hippocrates memoriæ prodidit. Quamobrem plerosque nostri temporis medicos hallucinari uidemus, qui tẽpestatibus ipsis nulla temporum agitatione inspecta, passim omnia hæc temere præcipiunt. Adijciendum est præterea aliquid uestimentorum, pro frigoris ratione, ne artus nouo frigore tententur. Matutinum maximè, atque uespertinum cauere oportet. Vnde à cubili prosiliens ad ignem sarmentitium accedere præstabit. Cibo item paulò pleniore, qui mediæ materiæ sit, uti licet, & minus, sed meratius bibere. Salernitanum eo tempore optimum, quodq́ue Ligusticis in montibus nascitur. Et Creticum aliquando primo potu, ubi fortè adsit uentriculi imbecillitas, & Pompeianũ, uel Corsicum tenue. Caro omnis, præter bubulã, & omnis uenatio tuta est; Olerum & pomorum usus mediocris sit. Nam nõ ob eorum tantum saturitatem ea putamus nocere, uerùm etiam quoniam uitiosi humores inde nascuntur, ac flatum excitant. Ideo nisi in sapa, uel in prunis cocta deuoranda non sunt. Vuæ tamen & ficus recentes præsumptæ in-

noxiæ erunt. Somnus diuturnior, quàm æstiuus sit. Exercitatio uelox. Venus neque æstate, neq; autumno utilis, tolerabilior tamen per autumnum, & aliquando per uernum tempus. Aromatum usus & mediocris, & rarus sit. Largius tamen, & frequentius ad cinamomum ac cætera, quæ temperatiora sunt, accedendum.

Hyeme multo pane uti licet, & alimenta sumere, quæ ualidissimę sunt materiæ: plus item esse conuenit, & minus, sed meratius bibere, præcipuè si tempestas aquilonia fuerit: Si uerò australis, cibo & potioni aliquid demere oportet: atque per tempus humidum, omnino uel frictione, uel exercitatione, uel inedia aridum corpus reddere. Præstant etiam per hyemem Massica uina, quæ Falerno cõtermina sunt, & Albana. Addimus his Surrentina, & Signina, hæcq; præcipuè, si aluus cita fuerit, illa si stomachi & intestinorum fluores extiterint. Falernum etiam utile, quod plerique perperam Magnaguerram esse existimarunt: cùm id genus in agro Nucerino, nobiliusq; in Gragnano illi cõtermino nascatur. Nigra etenim sunt uina ea, & plerunque dulcia, quæ nec in nouitate, nec in nimia uetustate corpori salubria sunt. Media nanque ætate, optimi sunt succi, concoctionemq; satis adiuuant, & stomachum modicè implent. Vnde prima in mensa una po

tione

tione sumpta utilia sunt, idq; maximè si stomacho cruditates adfuerint, uel si ad publicum aliquod negotium sit eundum, ubi prandendi facultas non possit: Tunc panis bucellatus, quem biscoctum uocant, altero ex his uino maceratus, pro ientaculo salubris erit. Eadem ratione Apianum uinum utile est, quod ex uuis, quas muscæ, apes, & uespæ populantur, calcatur, hacq; ex causa uulgus Muscatulam, Græci uerò Sticam appellãt. Et Creticum similiter uinum, quod Maluasia, à Malobasia fortè oppido, ut plerique putant, uocatur. Perpulchrum uerò esset, hoc loco uinis uetusta, & Latina nomina, locisq; etiam, in quibus nascuntur, reddere: quod, ne cœptum opus, quod ad metam properat, in immensum cresceret uolumen, differre uoluimus.

Carne præterea assa potius, quàm elixa utemur, magisq; holeribus calidioribus, somno & productiore, & aromatibus, præsertim pipere, croco, caryophyllis, & id genus. At cùm frigus sæuierit, corpus multiplici ueste muniendum. Exercitatio etiam quandoque uehementior, itemq; uelocior sit. Nullum uerò exercitationis genus eo tempore magis salubre existimamus, ac parua pila ludere: cuius lusu non solùm totius corporis particulæ æquè mouentur (quod summa exercitationis esse solet ex-

cellentia, nequaquam in cæteris exercitationũ generibus existens) uerùm maximam etiam animi iucunditatem exoriri certum est. Galenus autor est, paruæ pilæ ludum ad maximam particularũ firmitatem, & animi uigorem facere, eoq; præstantiorem esse memoriæ prodidit, quò maiori facilitate, minoriq; impensa, atq; periculo omnis generis mortales ad eam accedere possunt. Quod neque in uenatione, umbratiliq; pugna, equitatione, cursu, palæstra'ue, & plerisque similibus exercitationum generibus facile est. Quæ exercitatio, admodum etiam utilis aderit, ubi hesternus cibus ex ualidissima materia extiterit. Earum nanque exercitationum frequentiæ assueti, nullum cibi genus fugere debent, quo populus utatur. Contrà, qui uel propter negotia, quibus urgentur, uel corporis infirmitatem, seu animi & corporis ignauiam, atque desidiam hoc facere uel non possunt, uel uolunt, non cibaria modò, quæ non lædant, sed medicamenta etiam, quæ sanitatem faciant, poscere coguntur.

TERTIA PARS.

QVAE in præcedentibus consultò omisimus, hac in parte operæ pretium est in uniuersum describere. Omni nanq; tempore hæc pro opportunitatis ratione erunt obseruanda

uanda,& à ſomno auſpicabimur: Qui anima lium uirtutum eſt quies,ab utili humore cerebrũ irrorante prouenięs. Ex quo ſomno multa commoda,ſi tempeſtiuus eſt,conſequuntur: utpote,optima cibi concoctio, laboris relaxatio,alimentorum promptior per membra digeſtio. Dolores etiam,& mentis inſania, necnon graues animi moleſtiæ corriguntur. Tempus ſomno accommodatiſsimum nox eſto: quæ ſi inſomnis fuerit, interdiu poſt cibum per duas horas tutò admittitur:cuius menſura pro cibi aſſumpti ratione eſto.Hunc cibum cùm uel uarium,uel plus iuſto deuoramus, maiori utique ſomno indigemus, ut concoctio magis idonea perficiatur:Tenuioribus nanque cœnis ſomni exiguitas ſatis eſſe ſolet. In eo tamen communis ratio,à ſeptem ad octo horas ſit, & in latus dextrum prius,mox ſiniſtrũ, pronum aliquando iacêre ad bonam concoctionem facit:Nihilo minus cubationem illam oculis officere plerique exiſtimarunt. Statim præterea à ſomno priuſquam proſilias,oſcitare,excreare,artus omnes,brachiaq́ præſertim & crura pandêre debemus: Id qui[illegible] eſt, quod uno uerbo antiqui pandicula[illegible]icebant. Clarè item loqui, & palmis pectus, coxas,reliquaq́ membra leuiter fricare, ut mali halitus, uaporeſ'ue, qui ſomno retenti ſunt, motione illa excernantur.

Mox ad ignem accedere toto anno salubre est, parcius tamen æstate. Hyeme uerò ignis ex iunipero, lauro, roremarino, & similibus accendatur, æstate ex sarmentis, temporibus uerò medijs, ex ijs, quæ loci & temporis ratio expostulauerit. Vestimentis corpori pro temporis ratione admotis, & uesicæ, & alui deiectis excrementis, manus & facies frigida diluantur, quæ uiridi aliquo in uase contineatur, in eam'que oculi bis, ter'ue demergantur, diu'que postea suspicere oportet, nam arte ea uis maxima uisui additur: Verùm si crassitie, aut lentore aliquo oculi afficerentur, quod ex pituitosa aliqua materia ipsis adhærente, accidere solet, ex mero lauacrum præstaret. Caput deinde ex aspero lino æstate, coccineo ex panno hyeme, à fronte ad occipitium, fricare oportet. Quandoque uerò spongia, & sæpius eburneo pectine. Sic enim capitis particulę omnes, maximè leuantur, magisq́ue, si ex se id quispiam fecerit. Quibus peractis, diuinis opera est dãda. Sequitur hora studijs opportunior, in qua nocturno somno, & concoctione peracta, spiritus adeò instaurati creduntur, ut eo tempore perspicacitate ingeniũ ad speculationes sit propensius, Solis ad hoc uigore non mediocriter faciente. Quippe cùm sapientiæ, & uitæ dominus sit, ad sapientiam ipsam faciliori

liori certè uehiculo adire possumus, ubi eius princeps optimo cœli statu permãserit. Quod planè in Orientis partibus, circaq́; medij cœli cardinem esse uidetur. Duo itaque tempora, matutinum scilicet, & meridianum, studijs idonea erunt. Quod studium duarum, uel trium ad summum horarum biliosis matutino tempore sit: Circa meridiem uerò, unius atque alterius. Exacto studio, uel pilæ, uel alij exercitationis generi, pro temporis ratione idoneo, indulgendum: Cuius si uel loci, uel alterius rei causa facultas non fuerit, deambulandum ante prandium est, hoc'que perpetuò obseruandum. Et si quid aut publicis, aut priuatis rebus impertiendum fuerit, eo tempore agendum. Quibus perfectis prandendum, à quo sermones exoriantur à personarum quidem dignitate, & loci grauitate, non abhorrentes, iucundos aliquando, & mentem tanquam serenitate quadam lætitiæ exhilarantes, diuinus Plato grauioribus iubet admisceri. Inde musices oblectamenta, cæteraq́; quæ animum absque corporis agitatione lenire possunt, idonea iudicantur, eis'que tandiu instandum, donec uel somni, uel meridianum studij tempus adfuerit. Equitandum postea, aut aliquid id genus faciendum, ut hesternus

cibus duplici ſaltem concoctione ante cœnæ horam digeſtus ſit. Ad quam abſque cibi cupiditate nunquàm accedendum.

Hæc in uictus ratione iugiter obſeruata hominem uſquequaque integrum, nullisq́ Medicorum legibus obligandum, conſeruare poſſunt: Verùm uel ſtudij, uel negotiorum publicorum cauſa, uel inconcinna cibi ingeſtione, à qua perpetuò abſtinere uel ætate maturis difficilimum eſt, contingit plerunque ſtomachi cruditas, à qua capitis dolor, uel cibi tædium naſcitur. Ideo abſtinentia utendum, qua, ſi tempeſtiua ſit, nihil magis iuuare putamus. Ad hoc facit ex ſaccaro condîta roſa, quod noſtri diarhodon appellant, præſertim ſi tempeſtas calida fuerit, quæ medicamenta nunc per ſe, nunc ex aqua uel intybi, uel bugloſsi, ſummo mane deuorentur. Conducit etiam ſumere myrobalanum, uel quam Arabes uocant Chebulam, uel emblicam ex ſaccaro condîtam, & quod noſtri Aromaticum roſaceum uocant, Autumno præſertim & Hyeme: Mandere item radicem barbaricam, quam recentiores Reubarbarum appellant, toto anno aduerſus ſtomachi iniurias, & iecinoris ſepimenta, utile eſt. Plerique huius radicis cognitionem putant antiquos ſcriptores ante

Paulum

Paulum Aeginetam non habuiſſe. Proinde Reubarbarum noſtrum, Radicem Ponticam apud Celſum, & Dioſcoridem Rhaponticum, Rheú ue, idem non eſſe arbitrantur. Nos uerò cùm in uaria cœli, & regionis ſtatione eadem res, colore, guſtu, odore, & id genus plerunque uariari perſpiciatur, radices ipſas facultatis diuerſæ, & genere diſtinctas non eſſe fortaſſe contenderemus. De quibus diſputare cum noſtri non ſit propoſiti, inſtitutum noſtrum, quod iamiam ad metam properat, proſequemur.

Autumno, & Hyeme ſtomacho etiam auxiliantur Iuniperi ſeptena ſemina recẽtia, & præmatura ingeſta matutino tẽpore. Quibus uentriculi pituitoſa excrementa, flatusq́; maxime diſcutiuntur. Eorum quoque ſeminum facultate peſtilẽtes halitus & uenenata à corde perquàm facilè arcentur. Aluo aſtrictæ utile eſt infundi betæ, mercurialis, parietariæ, & uiolarum decoctum, cui additur rubrum ſaccarum, mel uiolaceum, oui luteum, & oleum uiride, uel uiolaceum, & ſalis momentum: Ex quo ſi aluus minime deijciatur, alio tempore prædictis caſsiæ fiſtulæ unciam commiſceto: Enhematis loco glandes aut ex larido, aut ex melle admoueantur, quanquàm ſoleant pleruncq; be-

ne ualentibus fastidio esse. Vnde ad Ruffi catapotia tutè accedendum, quorum assiduum usum, antiquorum plerique ad tuendam sanitatem, uel tempore pestilentię maximè præstare crediderunt. Habent nanque apud recentiores, Aloës semunciam, croci & myrrhæ singulorum drachmas duas, quibus additur uinum, donec cogantur. Manardus noster seculi nostri in re medica lumen, ea ad Ruffi mentem minime recipi posse contendit. Vera nanque Ruffi compositio habet, Aloës hepaticæ, & ammoniaci thymiamatis singulorum partes duas, myrrhæ electæ partem unam, cum odorato uino coguntur. Hæc nihilominus biliosis, & calidis temporibus ob caliditatem suspitione non carent. Quare omni tempori, omni ætati, & omni denique temperaturæ hoc modo confecta, præstantissimæ facultatis erunt catapotia, quæ habent, Aloës ex lactucæ, uel rosarum aqua dilutæ drachmas duas, myrrhæ, croci singulorũ scrupulos duos, terræ Armeniacæ ex aceto, & rosa dilutæ drachmam & semissem, cãphoræ, terræ Lemniæ, quam sigillatam uocant, singulorum drachmam, radicis barbaricæ, pastillorum de agarico, singulorum tantundem, zedoariæ, tormentillæ, gentianæ, dictamni albi singulorum drachmam mediam,

utriusque

utriusque coralij, seminis citri, succini, quod charabe nostri uocant, singulorum scrupulos quatuor: Hæc in subtilissimum puluerem redacta ex uino, uel ex syrupo, quem de limonibus appellant, pro catapotijs excipiuntur.
Hyeme his hieræ picræ Galeni pulueris, quas species uocant, tres drachmæ salubriter adijciuntur.

PROSPERI CALANII MEDICI de Atra bile commentarium,

AD AMPLISSIMVM CARDINALEM CAESIVM.



VM genus humanũ ex corpore, & anima constare, alterumq́ alterius adminiculo egere uidemus, quicunq; perspicuas animorũ functiones, & optimam corporis ualetudinem studiosissimè persequũtur, ij dignis planè laudibus sunt extollẽdi. Nam quemadmodum ira, furore, immoderato gaudio, mœrore, exacta ingenij exercitatione, alijsq́ affectionibus animi corpus languescere, ita ex corporis uitio, & morborum plerisque cruciatibus, animam ipsam ad naturalia opera obeunda plerunque uidemus hebetari. Anima nanq; ipsa si corporis seruitio uelut instrumento uti debet, eam ex corporis affectionibus par est tristem esse, & à supernis numinibus (quorũ pars est) magis, magisq́ distare. Qua ex causa, optimo corporis temperamẽto fuisse perhibentur, qui

qui amplissimis animorum muneribus floruere. Quæ animi munera, cùm multa quidem, propeq; infinita esse iudicentur, plerique propter sanctitatem, morumq; & uitę honestatem, alij propter doctrinam, & ingenij egregia facinora, sicuti anima ipsa, immortales extitere. Sed quoniam longè clariora sunt animi, quàm corporis munera, idcirco corporis illecebris per luxum atque ignauiam, ætatem agere iure optimo turpe putatur. Mala etenim consuetudine, ingenium, quo neque melius alioqui, neque præstantius quicquam in genere mortalium est, facilè torpescit. Verumenimuero corporis ualetudini usque eò operam nauare laudabile fuerit, quò animorum conatus eius incolumitate diutius cōseruentur. Quod cùm ab amplitudine tua ex toto prætermissum fuisse constet, idq; ab ineunte ætate usque ad hoc tempus, quid mirum, si annis superioribus, te à corporis minus secundis affectionibus plerunque uexatum fuisse cognouerim? Nam cùm famæ, honoribus, doctrinę, & rerum gestarum gloriæ, parsimonia, labore, uigilijs, diuturno studio, uti grauissimos tui ordinis patres decet, asiduam operam dederis, cùm omnia hæc, autore Galeno, naturalem temperaturam immutare posint, par est, principes corporis tui partes, præsertim iecur, & caput,

plus

plus æquo incaluisse. Qua ex causa succi, qui in eas partes suapte natura uel transmitti, uel gigni consueuere, earum calore assati, ad bilis atræ naturam facilè deuenerũt. Qui humores, ubi uel sanguini, uel pituitæ plus iusto permixti fuerint, aliquaúe in parte consederint, pro particulæ ratione uarios plerunq; morbos pepere. Nam cùm absque euidenti causa mœstitiæ, suspiria, grauesq; admodũ curæ, necnon stomachi, & intestinorũ dolores, & febres denique ut lentiores, ita prolixiores, quæ à meridie ad noctem usque mediam uexare solent (has planè Hippocrates nocturnas appellat) te nõnunquam exerceãt, bilem ipsam dubio procul in causa esse censendum est. Quarum affectionum causas indagare, cùm in præsentia nostri sit propositi (nam alioquin earũ curatio manca, atque inutilis esset) res ipsa hortari uidetur, ut breuiter aliqua, primò de atræ bilis natura, mox de tuorum affectuum causis, & curatione, eorumq; postremò prȩseruatione Deo opt. maxim. adiuuante differamus.

Atram bilem, quam Græci μελαγχολίαν appellant, tum natura, tum ipsius, aut aliorum humorum adustione, uel uictu quotidiano diuinus Hippocrates nostris corporibus ingenerari memoriæ prodidit; hancq; homines attonitos, obtorpentes, aut anxios, & mœroris plenos,

plenos, atque formidolosos, si frigescet, facere: si uerò admodum incalescat, securitatem animi, cantilenasq; parere, & mētis alienationem, uigilias quoque diuturnas, ulcerum eruptionem, & alia cōplura generis eiusdem. Illa uerò pari ratione cum ad calidum, & frigidum (quæ autore Aristotele uniuersi temperamenti origo est) etiam plus iusto declinauerit, per multa, & uaria morum genera, prout alius aliam habitus intemperiem sortitus est, producere. Quippe qui multam & frigidam atram bilem habuerint, ij stolidi sunt, & ignaui: qui permultam & calidam, ij perciti, ingeniosi, amatores, & ad omnem excandescentiam, & cupiditatem propensiores. Nonnulli etiam loquaciores existunt. Verùm ubi calor ille sedes mentis occupauerit, morbi uesaniæ quandoq; implicantur, aut instinctu lymphatico inferuescunt, ex quo Sibyllæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes, qui diuino afflatu instigari creduntur: cùm scilicet id nō morbo, sed naturali quadam intemperie acciderit. Huius autem furoris rationem philosophorum pleriq; eam esse arbitrantur, quòd cùm anima, priusq; molem hanc corporis induat, omnia quæ dij immortales (ut diuinus Plato asseuerat) scire & intelligere promeruerint, ad eorū quæ antè nouerit, præsentiones facilè consurgit. Si quando corporis

quæpiam

quæpiam intemperies à natura contigerit, qua anima ipsa à corporis sensibus ad eorũ similitudinem, quos destitutos mente dicimus, Græci ἐκστατικοὺς appellant, relaxetur. Vnde fœminas aliquot, rudesq́ue, & omnium sciẽtiarum expertes, hac de causa dum ab ipso atræ bilis genere corripiuntur, corporis tunc sensibus quiescentibus, de philosophia, & scientiarũ arcanis, tum disserere, tum etiam præsagire arbitrati sunt. Sicut Bononiæ dum adolescens philosophiæ studijs operam nauabam, uillicum sanè parentibus obscurissimis, & ab omni literarum consortio alienum cognouimus de rebus cœlestibus cum præceptore meo Alexandro Achillino Bononiensi, sui temporis in utraque philosophia singulari, sępenumero etiã disseruisse. Non mirum igitur cuipiam uideri debet, si illi omnes, qui ingenio admodum singulari, & studijs philosophiæ, uel in rep. administranda, aut artibus exercẽdis maxime claruerunt, melancholici extitere. Quippe atra bilis ipsa ingeniũ præstat. Neque ea ipsa id tantummodo facere, (quandoquidem sui atro colore, ut pleriq́ue crediderunt, atque densitate, cerebri tunc spiritus offuscare, & animũ terrere, ingeniumq́ue mirandum in modũ obtundere ualeret) sed cùm cæteris humoribus iusta portione permixta refulserit. Subtiliori etenim pituitæ (cuius minima por

ma portio sit,& naturalis) cum bilis atra sese permiscuerit, ne arescat prorsus, durissimaq; euadat, efficitur. Quando autem duplici sanguinis,& pari flauæ bilis portione coniungitur, ut scilicet (exempli gratia) sanguinis octo, & atræ, & flauæ bilis singulorũ duæ sunt unciæ, tunc quod in atra bile ipsa crassum turbulentumq; extiterit, eorum permixtione ad fulgidum subtileq; & peruium facilè redigetur. Qua ex causa subtiliores tũc spiritus, qui cõmixtione ex illa, ob tenuius flauæ bilis incendium,& sanguinis perspicuitatem erumpunt, animam ad sua officia agiliorem reddũt. Hanc igitur bilem, quam natura gignere, & homines propè diuinos facere prædiximus, nulla à nobis ratione uelut nocentẽ deijciendam, sed quocunq; poterimus studio, atq; conatu, tanquam conducibilem & propitiam conseruandam crediderim. Verũ omnino illam, quæ nostris corporibus adustione, aut mala uictus ratione gignitur, quandoquidem excrementosa est,& mortaliũ naturæ maximè inimica, purgare conueniet. Hęc nanq; melancholiæ morbum parere solet. Quam insaniam esse sine febre Paulus memoriæ prodidit, eiusq; perturbationis tres etiam species esse. Quarum prima humor ipse, quando scilicet cerebrum tantum occupat: Altera, quando totum corpus

tali humore oppletum eſt. Tertia, quam Græci flatuoſam uocant, & Hypochondriacam, Arabes uerò Mirachialẽ appellant. Quæ fit, quando pars circa ſtomachum, & quæ hypochondria nominantur, patiuntur, uel phlegmonen, id eſt, apoſtema calidum, uel aliquam aliam malam diſpoſitionem, cuius cauſa ſit atra bilis. Sunt autem hypochondria Græcis partes illæ uentris inferioris, quæ coſtas imas, & umbilicum interiacent, Latinè præcordia, Celſi, & Galeni autoritate dicuntur. A` quibus aliquando uapor aliquis malus, nonnunquam uerò pars aliqua humoris aſcendit ad cerebrum. Timor autem & triſtitia, ſine cauſa hanc ægritudinẽ uel præſentem, uel futuram prænunciant, & cõmunia ſunt ſigna tribus ſpeciebus. Hæc paucis de atra bile præfati, nunc ad tuarum affectionum cauſas, & curationem accedamus. Quarum rationem, cum abſq; naturalis temperamenti conſideratione, inanem eſſe Galenus aſſeueret, id nos planè ſicut principiò ex euidentioribus ſignis recepimus, calidum eſſe, & ſiccum ſtatuendum eſſe contendimus: Cuius exceſſu, nigræ bilis plurimum, ex humorum aduſtione gigni certò uidet̃. Iecur ſanè, corq́;, & renes calore inſignes id efficere poſſunt. Pituitoſum autem excrementum quod quotidie gigni uidemus, non temperamenti naturalis

cauſa,

causa, sed iniusta potius uictus ratione, & stomachi imbecillitate oriri puto. Quò fit, ut in tertiam illam melancholiæ speciem, quam flatuosam appellauimus, ex horum humorũ mistura, te facilè delabi posse existimemus. Nam ubi in uentriculo, aut partibus adiacentibus, præcordijs uidelicet, humor ipse plus iusto insederit, ex uapore quodam acuto, & mordaci, à materia ipsa sublato, cerebri membranas feriente, motus spirituum, & caloris ad externa perficitur, quod modo uigilias, noctes'ue insomnes parit, & metum præterea mœroresq́ꝫ, & suspiriorum, ob cordis præsertim cum stomacho ipso cõsensum, absq́ꝫ euidenti causa frequentiã. Interdum uerò stomacho in ipso cruditates, spiritus flatuosi, cibi tædium, frequentes eructationes, & id genus alia accidere solent. Calor etenim ubi crassam, & terrestrẽ materiam parum concoquit, flatum gignit, cuius extentione uehementem aliquando dolorem in particulam, ubi considet, suscitari uidemus, idq́ꝫ magis antequàm cibus in stomacho concoquatur, licet interdum etiam ieiunum agitent. Præter hæc, & ob horũ etiam humorum sanguini permixtorũ putrefactionem, ut anno superiori, ita & præsenti eodem ferè tempore plurima febris accessit: quæ à meridie ad noctem usq́ꝫ mediam usq́ꝫ adeò leuiter uigebat,

ut uel exercitatiſsimo medico cognitu diffici-
lis uideretur. Ad hanc uel minima cibi cupi-
ditas accedebat, & nox ſomni expers, aluus
ſuppreſſa, & nulla ſitis. Quæ omnia certam li-
cet præ ſe ferrent ſalutem, maiorem tamen, ꝙ
pro febris ipſius ratione ſuſpicari oportebat,
timorem, & mœſtitiam ſuſcitabant. Quæ fe-
bricula, cum circa Veris finem ſuperiori anno,
& ipſius initium præſenti accidiſſet, liquidò
conſtabat humorẽ ipſum ſanguini (qui Vere
ipſo moueri ſolet) permixtum fuiſſe, eoq; tem
poris putredini promptiſsimum. Quippe bi-
lis atra motu difficilis eſt. Vbi autem ſangui-
nis alterius'ue humoris cõſors erit, ad humo-
ris ipſius motionẽ putreſcit, moueturq;, & fe-
brem, aliasq; melancholicas corporis affectio-
nes pro humoris ratione inducit. Quapropter
ne amplitudo tua in has affectiones, quas ca-
uendas eſſe prædiximus, tam frequenter incur
rat, ne'ue atra bilis ipſa, quæ iam corpori ſu-
peruacanea eſt, primo quoq; tempore augea-
tur: in primis operę precium fuerit eam ipſam
medicamentis deijcere: Deinde, ne id recens gi
gnatur, efficere: Poſtremò quæ exhilarant, læ-
titiamq; inducant, & bonam ualetudinem tue-
antur, adſcribere. Ad primum igitur priuſquã
accedatur, ſcire conuenit, pleroſq; languentes
haud mediocriter hallucinari, ubi abſque pur-
gantibus

gantibus, aut ſiſtentibus medicamẽtis (ex quibus tantũ, autore Hippocrate, medela omnis conſtare putatur) ſeſe ſanos aliquãdo euaſiſſe profitentur: nam falſò ferunt fortunæ, & non medici, artis´ue medicæ beneficio, ſe bona ualetudine potitos. Quis enim neſcit, medendi rationem, inſtrumentorum uarietate, quibus opus eſt, ampliſsimam eſſe? Quandoquidem permulta etiam alia ab ijs, quæ deijciendi, atq; ſiſtendi uim habent, quibus tum morbos ſanare, tum ſanitatem tueri poſſumus, à medicis probè obſeruãda traduntur. Ea autem omnia uictus ratione continentur, quæ non ſolùm cibo, potuq;, uerum etiam exercitatione, ſomno, uigilia, & aëris ambientis facultate, uaria etiã animi diſpoſitione, & ſuccorum redundantia, atq; eorum inanitione, qui mortalibus ſuapte natura, aut alia de cauſa contingunt, conſtare uidetur. Vnde qui abſque medici beneficio ſe conualuiſſe arbitrantur, omnino ſeſe aliqua re uel faciunda, uel non faciunda ſanatos fateantur neceſſe eſt. Nam aut inedia uſi ſunt, aut ſatietate, plenitudine´ue, uel plurimo potu, uel ſiti, uel balneis, uel laboribus, uel quiete, uel ſomno, uel uigilia, uel horum omnium perturbatione, & permixtione. Quæ omnia ſi exactè (ut par eſt) animo uoluamus, in nobiliore artis medicę parte ineſſe facilè uidebuntur. Qua

ex causa diuinum illum Hippocratem medicos illos maxima honoris, & eminentiæ gloria excoluisse proditum est, qui tum languentes curando, tum ualetudinem tuendo sola uictus ratione usi sunt. Quæ ratio nobis hoc nostro qualecunque fuerit commentario, cùm præcipua esse debeat, ut eius auspicijs amplitudo tua facilè conseruetur, iam nunc ea quàm breuissime explicabitur.

Ac in primis ab aëre exordiemur: qui cùm unus ex illis sit, cuius qualitatibus uelimus, nolimusque, maximè afficimur: ut tibi conducat, humens esto cum calore aliquo ad Veris exemplum. Sic enim atræ bili maximè aduersatur. Quando autem cæteris qualitatibus maximè præualuerit, eum prout necessitas urgebit, euitato, aut ad contrarias qualitates, si id fieri poterit, arte aliqua reducito. Vnde æstate imminentibus caloribus ædificium perflatum habens habitare conueniet. Quod etiam humore aliquo respergatur, aut uiridioribus ramis, qui & oculos oblectent, & membra refrigerent, ueletur. Iuxta fontes præterea, aut irrigua loca cœnare quandoque utile fuerit. Ne tamen à matutino, aut uespertino frigore lædaris, maximè caueto. Quapropter ubi tuo in uiridario ad fontes conuiuari contigerit, ueste caput uelato. Hyeme uigente bruma conclaui

arctiori dormire, in quo nullus adsit caminus, saluberrimum fuerit. Illud tamen carbonibus ardẽtibus, aut odorato suffitu aliquo, dum absens ab illo fueris, quandoq; calfaciendum.

Circa cibum & potum maius negotium instat. In quorum usu cum amplitudinem tuam quàm sæpissime præuaricari sciam, ideo non alienum fuerit, in præsentia aliquantò uerbosius de eis in uniuersum differere. Particulatim autem singula cõmemorare consultò prętermisi. Quippe cùm ea omnia ob libertatem tibi plerunq; inutilem perpetuò obseruare difficile sit, asisidentibus tuis medicis, Norsio scilicet, & Balamio, quos ob singularem doctrinam, ut debeo, & ueneror, & colo, ciborum delectum pro temporis, & dispositionis tuæ ratione, obseruandum relinquo. Illud tamen in primis studendum puto, ut pro uiribus cibationis statum tempus habeatur. Nam modò diluculo cibum sumere, modò hora nona, interdum uerò citius, aut serius, uel semel tantũ in die, naturam tuã hebescere scias uelim. Qua ex causa uentriculus concoctionis contumax fit. Vnde in eo cruditas, affectionum tuarum parens exoritur. Cibus ergo æstate humidus plurimum, & calidus parum esse debet: Hyeme contrà, calidus multum, humens modicè. Nec cibum ipsum assumito, nisi eius cupidi-

tas primò accesserit, simplexq́, id est, non uarius esto. Quod licet dignitati tuæ ob conuiuas, qui aßiduè tecum decumbunt, difficile uideatur (lautiores etenim mensas sicut complura alia delitiarum genera nostri temporis Ro. Curia in precio habet) pro ualetudine tamen, uel secreto, uel parcè cœnare indignitatis suspitionem tollit. Quippe summa tua dignitas & amplitudo non in cœnis adijcialibus, sumptuosis'ue (nempe ad mortalium perniciem inuentis) sed munificentia potius, liberalitate, officiorum sedulitate, beneficentia, humanitate, & id genus cęteris optimis uirtutibus consistit. Qua de re, cùm prospera ualetudo tua tibi in primis, cæterisq́ tuis fratribus, consanguineis, familiaribusq́ utilißima sit, summum studiũ in uictus ratione adhibere debes. Nam præter hæc, ubi cibi appetentia accesserit, eum sumere ne differas: tantumq́ ex eo cibo assumendum, ut uentriculi grauitas, & iliorũ inflatio non consequatur, & ingenium hebescere non poßit. Neq́ post laboriosam exercitationem statim esse debes: sed quiescere primò, donec à labore tranquillitatem, te assecutum cognoueris. Largius semel tantùm in die comesse expedit: uerùm à copiosiore cibo ad alterũ, nouem horæ interponendę sunt. Ad ea deinde quæ crasso succo alunt, utpote leguminum

omnium

omnium genera, prçterquàm rubri ciceris de-
coctum, ad bubulam itẽ & suillam, & auium
aquis degentium carnes, antiquum caseum, &
caseo cõdîta edulia, ad azyma, & id genus cæ-
tera non nisi infrequens accedito. Etenim prç-
cordiorum flatum melancholiam´ue facilè pa-
rant. Ex largiori uarioq; cibo, quandoque sitis
ualida exoriri solet. Eo casu somno uti proli-
xiori, & tenuiori frigidæ sorbitione, remedio
est. Hęc in uniuersum de cibo. Potio cibi men-
suram ne transgreditor, ne eum cogat in sto-
macho natare: eo planè modo facta pernicio-
sissima est. Aequè tibi malo uidetur esse dilu-
tum uinum, quandoquidem partes uentris in-
feriores flatuosas reddit. Verùm ubi merum
diluere concupiueris, per duas horas priusquã
bibendum sit, aquam in id infundere iuuabit.
Vt uinum duorum saporum (uerbi causa) dul-
ce simul & austerum uituperauit Galenus: ita
uaria etiam uini genera, utpote alba & nigra
permisceri. Quamobrem uinũ illud tibi hye-
me salubrius esse censeo, quod Romæ nunc
Græcum uocatur: quod ipsum ueteres Pom-
peianum dixere: & Corsicum tenue, & quod
Liguria mittit: In æstate conducunt, Albana,
Sutrina tua, & quæ ager Phaliscus parit, nec-
non Romana, & eius farinæ cõplura alia, quæ
regno Parthenopæo habentur. Quæ ut Romę

frequentiſsima, & notiſsima, conſultò omittuntur. Ea tamen uina, ſi uel alba, uel rubella erunt, cæteris ſalubriora cenſebuntur: Nam ad cibariorum diſtributionem magis facere, & caput minus tentare uidentur. Nigra autem ſanguinis plurimùm generant, & melancholicum, iecoris obſtructiones inducunt. Idcirco eis uel raro utendum. Merum uinũ paucarum uirium, & tenue albumq́;, & rubellum, ad tuendam ualetudinem tuam ſemper laudo. Verùm uoluptatis gratia, ad uini ſcilicet excitationem, quandoque aquæ momentum in eo inſtillare conuenit. Quapropter aquam muſto uindemiarum tempore miſceri licebit: Præſertim ubi prius, quàm doliјs infundatur, diu conferbuerit. Cuius feruore, eorum iniuriam facilè deuitare poſſemus. Abſq; etiam uiribus id uinum eſſe ſcripſit Hippocrates, quod priuſquàm ferueat, ſacco diutius, & quàm ſæpiſſime in doliјs percolatur. Panis cruſtum uino infuſum eius generoſitatem abſorbet. Quocirca ubi fortè meracius bibendum neceſſe eſt, eo modo utere. Dulce uinum, aluũ emollit, ideo in cibis præſumitur. Sed cùm iecoris imbecillitatibus, eiusq́; obſtructionibus minime conueniat, id uel ex toto euitare, uel quàm rariſsime ſumere utiliſsimum eſt.

Nec obſcura animi, & mentis ratio in tuenda ua-

da ualetudine esse debet: quamobrem grauioribus tuis curis ludos aliquando & facetias interponere, & historiarum lectionem, musices allectamēta, iocos, & singula alia, quæ animum relaxare solent (ut Plato asseuerat) mirandum in modum conducet. Et exercitatione, cùm natiuus calor maximè excitetur, qui humorum plenitudini, & cruditatibus uehementer succurrit, eam ipsam exercitationem summopere laudo. Quapropter æstate matutina, & sub diuo, quæ uel leni deambulatione, aut equo perficienda sit, eligatur: Hyeme uehementior esto, & tecta, dum bruma riguerit. Ieiuno etiam uentre, uesica & aluo ab excrementis leuato, paruæ pilæ ludus conueniet: Et cursus, citatior'ue deambulatio: Et aliquando etiam onera portare, uel funem apprehensis manibus scandere: Venari nonnunquam, aut aliquo cum familiari commissis manibus certamen facere, acrochirismi Græcè dicuntur: Quarum exercitationum finis ad sudorē usq; sine lassitudine esse oportet. At si ob has aliquo lassitudinis genere afficieris, remedio aderit quies. Leuis frictio, uel membra ex oleo uel Sabino, uel rosaceo, uel melino delinire. Somno cùm nullam rem tibi salubriorem esse mihi persuadeam, omni studio nitendum, ut prolixior, quàm pro naturæ, & consuetudinis

tuæ

tuæ lege esse solet, reddatur. Nam præter hæc cœna largiori somnus elici potest, ubi præsertim elixa cibaria, utpote lactuca, & id genus, in ea assumuntur: ex qua cerebrũ, ab utili humore irrorari uidetur. Somnum æquè conciliat à cœna balneum, ex anodynis herbis confectum, si ex eo tantum corporis extremę partes diluuntur. Et ex ptissana, peponisq; seminibus & saccaro facta sorbitio, dormire dum uolueris, assumpta. Eo casu cœna uel nulla, uel quàm breuissima esse debet. Legere item quæ ingenium fatigant, si quis inceperit, eum uel nolentem somnus occupare aliquando consueuit. Quod certè ea de causa arbitratus est Aristoteles usu uenire, quoties spiritalis motus, qui animæ inseruit, ob frigiditatem uel naturalem, uel materiæ melancholicę in capite existentis, hebetatur. Qua etiam ex causa consistit, cùm intellectiua uirtus instat, ut propositam aliquam rem intelligat, repelliturq; ab altero motu, qui refrigerandi potestate munitur: itaq; ij à proposito aberrãtes, potius dormire, quàm uigilare coguntur. Quippe cum mens constiterit, & quasi labore oppressa succubuerit, caput (utpote quæ sita sit in eo) aggrauat, somnumq; inducit. Contrà, cùm secũdum naturam animus noster agitatur, suã intelligentiam, ubi placuerit, firmare ualebit:

Nihilq;

Nihilq́; quod eum repellere poſsit, ob caloris ſcilicet abundantiam, & robur, qui ex intelligentia ipſa excitatur, offendet. Qua de re, nullo tunc ſopore premetur. Quo fit, ut plerunq; qui uigilare decreuerint, liber ſuſceptus eos peruigiles reddere poſsit. Sua tunc functione fruitur anima, cuius agitatione excitato calore intelligentiæ motus ualidior fit, in quo maxime anima ipſa delectatur, & cõquieſcit: cùm propria ſcilicet & nobiliori actione detineatur. Qua ex cauſa uigilia tum naſcitur, tum conſeruatur: qua præcipuè uiuit animal: quãdoquidem in uigilia potius, quàm ſomno uiuere debet. Lectio igitur, quam ad ſomnum prouocandum in præſentia proponimus, animum, ſicut prædixi, fatigare debet, ne ipſius oblectamento, quod ex rei propoſitæ intelligentia acquiritur, peruigiles reddamur. Hallucinantur ideo hac in parte, qui uel hiſtorias, aliaq́; quæ animum illectant, perquirũt. Nam literarum expertes, quando ijs quæ haud facile intelligunt, ſtudent, contriſtari ſolent. Qua de re cõuerſo calido introrſum, ſopore afflicti conquieſcunt. Contrà ſolertioribus, ob intelligentiæ facilitatem, aucto calore intellectus ualidior efficitur, qui foras tranſmiſſus, facilius hanc ipſam ob cauſam uigiles detinet.

Excrementorum redundantia, quæ uel ob

ſtomachi imbecillitatem,uel alia de cauſa quotidie gignitur, plerunq; cibi tædium, nocturnas uigilias,corporisq́; laſsitudines, & mentis agitationem parere ſolet. Ne igitur uel fiat, uel ſi caſu aliquo facta fuerit,augeatur, ſtudendum eſt. Præſtabit igitur quotidie aluo ſoluta uti. Quæ ſi ſua ſponte non reddiderit, uel clyſtere,uel catapotijs noſtris ducatur. Aduerſus ſtomachi cruditates conducit ſcyllini aceti cochlearium,manè ſorbillo ſumptum: Prolixiore poſtmodum deambulatione utendum: Eius planè uſus hyeme frequentior eſto. Valentis quoq; medicamenti cochlearia tria mirandum in modum ſtomachum æquè reducunt, atque cõſeruant,ſi eo modo ſorbillantur. Caſsiæ etiã fiſtulæ recens exẽptæ uncia, & ſeſquidrachma pulueris hieræ picræ Galeni in bolum redacta hyeme miris modis conducit,ſi diluculo ſemel atque iterum in menſe ſumatur: Aeſtate uerò caſsiæ ipſius drachmas decem, pulueris glycyrhizæ ſemidrachmam accipito,& utitor: Et citri corticem ex ſaccaro condîtum, & hyeme gingiberis radices recentes,etiam condîtę, & æſtate ex roſa conditum, & myrobalanum, uel chebulam,uel emblicam. Neque frequentem inediam ad tuam ualetudinem tibi proponendã puto. Ea planè plus iuſto ſiccatur corpus,uiresq́; imbecilliores redduntur.

Tuarum

Tuarum affectionum curatio, quæ fit medicamentis, superest: quam anniuersariā ante Veris initiū esse cōuenit. Quippe cùm in Vere ipso sanguis suapte natura moueri consueuerit, haud suspitione carere uidetur, ad eius ebullitionem excrementa præsertim melancholica, quæ hyeme aucta sunt, putrescere posse. Ex quo, duobus iam annis superioribus febres illæ prolixiores, aliaq; tua incōmoda successerunt. Vnde Aprilis initio operæprecium fuerit, ex condîto nostro, quod salubriter aluū emollit, excedentem materiam tum cōcoquere, tum euacuare: Cuius uncia uel altera, plus, minus'ue, pro roboris tui ratione, ex foliorum senæ decocti uncijs quatuor multo mane per xv. dies continuatos sumuntur: uerùm ubi ex hoc aluus nimis flueret, seu torminibus uexaretur, quod ob excrementorum uel cruditatē, uel lentorem, aliquando accidere solet, eius usus quandoq; interponatur, sed ea intercapedine clystere leniori aluus diluatur. Excitari solet humor melancholicus (utpote natura crasior) sanguinis misione: Vnde ad ualetudinem tuam præstabit post decem potiones prædictas, ex uena sinistri cubiti, quam basilicam uocant (ea planè affectionibus melancholicis incolumior est) aut media, uel si asidentibus tuis medicis expedientius uidebitur, hi-

rudine

rudine hęmorrhoidibus admota, sanguinis uncias tres, uel certe quatuor, pro uirium ratione extrahere. Deinde potionis præcedentis, quod reliquum fuerit, uel tantundem assumere. Ob quas potiones, tantum excrementorum salubriter euacuabitur, ut ad tuam incolumitatē, nihil aliud amplius (ut arbitror) desiderari posse uideatur. Essent fortasse nonnulli, qui uernam hanc purgationem, à sanguinis missione auspicarentur, eamq; in una, & altera, & tertia quoq; die impertirent. Quod quidem si sanguinis unciæ duæ singulo quoq; tempore extraherentur, & medici etiam tui hoc idem salubrius esse iudicarent, minime improbarem.

Postremò, ne excrementa ipsa iterū gignantur, summopere cauere oportet. Victu igitur in primis id efficere poteris: Proinde medicamento magno, quo principibus partibus maximè succurritur, utendum. Nam ex hoc particularum tuarū cōcoctionibus, animiq; mœroribus miris modis opitulaberis, si hyeme semiunciam ex anisorum decocto, uel tenuiori uino semel atq; iterum in hebdomada, ieiuno stomacho deuorabis: ob has nanq; facultates recentiores medici huius generis confectiones tripheras, & magna antidota appellare cōsueuerunt. In æstate æquè conducet syrupus, qui ad lętitiam comparandam, nec non aduersus cor

ſus cordis, & ſtomachi, & cerebri affectiones melancholicas præſtantiſsimus eſt, ſi manè, uel meridie ex frigida, uel hordei cremore frequenter ſumatur.

Ad eadem erit præſtantius medicamentum ex lapide cæruleo confectum, quod Alkermes à ſerici coccinei colore nuncupatur. Quippe Kermes, & Alkermes Arabicè coccum colorem ſignificat hoc Kermeſynum quod uulgò dicimus, de quo, ſicut prædixi, aſſumendum.

Aduerſatur pręterea tuis affectionibus melancholicis, aquæ cœleſtis frequens balneum: quod ad tuendam ualetudinem tuam maximè laudo. Vnde poſt anniuerſarias purgationes, quas ex cōdîto noſtro ante Veris initium perficiendas propoſui, ſemel uel iterum in hebdomada balneo ex ſimpliciſsima aqua egelida uti debes. Itaq; manè leuato uentre ab excrementis, ſolium ingreditor: Donecq; corpus totum, digitorumq; præcipuè ſummitates rugis afficiantur, commorator: Siccato pòſt cum linteo corpore, in cubili per horam erit quieſcēdum. Idq; balneum, inter cætera commoda ſomnum conciliat, & ſudorem elicit. Quapropter peracto uel ſomno, uel quiete, & deterſo, ſi opus erit, ſudore, ad munia obeunda accedere poteris. Illud tamen in primis ſcire oportet, per tres horas, priuſquàm ſolium ingrediaris, medica-

mentorum quippiam, quod principibus partibus prodesse prædiximus, semper sumendum: Vel quod etiam saluberrimum fore contendo, eius uice, ptissanam hordeaceam assumere, cuius confectionem infrà adscribam: Ex ea nempe uniuersum corpus humidius fieri scias uelim; quo humido ad somnum promptius accedes, & affectionum tuarum causæ facilius corrigentur.

Medicamentorum compositiones ijs continuata planè serie adijcere uolui, ne prædictorum lectio eorum interpositione conturbaretur. Maiorem deinde uoluptatem continuata historia legentibus parere solet. In ijs quidem medicamētis, Latinis etiam nominibus, in quibus nullum uidetur esse ambiguum, uti placuit. In cæteris cùm integra adhuc certitudo non adsit, barbara potius nomina, uelut notiora recepimus. Hæc nanque medicamenta, ob eorum excellētiam, tanquam in numerato inter chariora tua signa habenda esse contendo, ut eis, si quando egueris, arbitratu tuo uti posſis.

Condîti aluum mollientis confectio habet, Filiculæ, epithymi, radicis utriusque buglosſi, hortensis scilicet & syluestris (nam hortēse buglossum, boraginem appellamus) & florum utriusq; buglosſi, herbæ cincinalis singulorum

unciam,

unciam, foliorum ſenæ, trixaginis, iunci rotun di floris, atri ueratri, ſingulorum tantundem, eupatorij drachmas ſex, fumariæ ſeſquiunciã, ſucci malorum dulcium uncias decem, hæc in aqua cœleſti, prout decet, ferueant ad tertias, ex torculari inde exprimuntur, ut eorum medicamẽtorum uis ex toto in aqua permaneat, mox quod expreſſum fuerit cum ſucco malorum ex ſaccaro quàm albiſsimo medicamentũ ad uſum conficiatur. In quo drachmę tres reubarbari noſtri linteo rariori deligatæ momento etiam decoquantur, ſpathaq́; lignea aliquan do exprimantur, id reubarbarum, in uaſe ubi medicamentum aſſeruari debet, ſuſpẽſum diu poſtea habendum.

Medicamentum magnum, quod Triferam uocant, habet myrobalanorum Indorũ, bellericorum ſingulorum unciam, roſæ rubræ, bugloſsi, fœniculi marini ſem. aſparagi, ſem. cari, ſem. erucæ, ben. utriuſq;, aniſorum, maſtiches, corticis citri, xylobalſami, anethi, galangæ, piperis longi, gingiberis, doronici, ligni aloës, ſin gulorum drachmam unam, pinearum mundatarum uncias tres: Quæ ſicca ſunt, terantur, cribrenturq́;, ſemina uerò pinea cõtundantur, myrobolani ſingillatim ex uncijs quinque olei plurimæ nucis, quam amygdalam uocant, recens expreſsi, fricentur: Comixta demũ omnia

ex libris tribus mellis despumati coguntur. Hac antidoto dum hyems riguerit, uti debes. Quæ licet gustatui tuo alioqui insuauior effi-ciatur, eius tamen tanta erit utilitas, & auxi-lium, ut affectiones tuæ alio egere medicamen to non uidebuntur.

Syrupus lætitiæ parens, habet rosæ rubræ uiridioris, & foliorum, & florum boraginis, sin gulorum libram mediam , stæchadis uncias duas, serici crudi, seminis ocymi, corticis citri, singulorum unciam. Hæc per diem maceren-tur, in libris sex egelidæ aquæ, ferueãt pòst le-ni, & claro igne ad quartas, percolata ex libris sex syrupi de pomis simplicioris, & saccaro al-bissimo conficiatur syrupus, & aromatizetur cum drachma media moschi optimi.

Efficax alterum medicamentum ad prædi-cta, cuius autor est Mesuai, & de lapide lazuli, uel Alkermes confectionẽ uocat. Serici ex coc co recens infecti libram sumito (eum planè in-telligo, quem nos uulgò cremesinum uoca-mus) quod sericum in succi mali Appiani, & rosaceæ aquę singulorum libram, per diem ma cerato: ferueatq́; postea usq; dum humor ille rubescat. Expresso serico, saccari quàm albissi-mi sesquilibram addito, ad mellisq́; crassitudi-nem decoquito: Remoto ab igne statim in id infundito: ambræ optimæ incisæ drachmas quatuor,

quatuor, quæ ubi diſſoluta fuerit, puluerem, quem paratum habebis, ſuperaddito, permiſcetoq́;.

Puluis conſtat ex xyloaloẽs crudi, cinamomi optimi, ſingulorum drachmis quatuor, lapidis cærulei, quem lazulum uocamus, quàm optimè diluti, & præparati ſemiuncia, & margaritarum drachmis duabus, auri foliati optimi drachma, & moſchi ſcrupulo.

Cæruleus lapis, quàm optimus hac ratione, autore Alexãdro Tralliano dilui ſolet, & præparari, ut uitium quod in eo putatur, eo toto corrigatur: Dum ardet canicula, teritur in mortario quàm leuiſsimè lapis ipſe, aquam deinde cœleſtem ſuperinfundito, piſtilloq́; eam ipſam agitato, poſtquàm autem bellè ſubſederit lapis, inclinãdo mortarium, aquam ipſam proijcito, idq́; tricies ex puriſsima aqua reiterato: quod ubi diligenter peractum fuerit, ex roſacea aqua idem decies iterabis, toties ex boraginis aqua etiam diluito: ſiccato deinde lapide pro uſu conſeruato, & eo modo utitor. Scire intereſt, confectionẽ ipſam argenteo in uaſe conſeruandam eſſe. Alij lapidem, ſicut prædixi, tritum, & dilutum, donec ſiccetur, inſolandum eſſe contendunt, hacq́; ex cauſa ardentiſsimo ſole egere, & eo modo tricies elaborato in medicamentis utuntur.

Scyllini aceti hæc eſt præparatio, quam plerique Galeni eſſe crediderunt: Aceti quàm acerrimi libras xij. ſumito, ſcyllæ recentis, & montanæ uel manibus, uel ligneo cultro fruſtatim inciſæ libram: Hæc in uitreo uaſe optimè clauſo poſita, æſtuante Canicula, quadraginta diebus inſolato, percolatum acetum, ad uſum conſeruato.

Catapotiorum meorum confectio aduerſus ſtomachi cruditates, uel peſtilentiam ſingulares, habēt Aloës dilutæ pondo drachmas duas, myrrhæ, croci ſingul. pond. drachmas duas. Glebæ Armeniacæ ex aceto, & roſacea aqua præparatæ pondo drachmā & ſemiſſem, camphoræ, terræ Lemniæ, quam ſigillatam appellant, reubarbari, agarici in paſtillos redacti ſingul. pond. drachmam unam, zedoariæ, tormentillæ, gentianæ, dictamni ſingul. pond. ſemidrachmam, corali utriuſq; pond. ſcrupulos duos. Hæc ex ſyrupo de limonibus, uel citri acrimonia, ad catapotiorū uſum excipiuntur.

Valens medicamentum Celſi, quo ego utor ad reducendum ſtomachum, fit ex acidi mali Punici ſucco, cum pari modo ſucci, qui ex malo Punico dulci exprimitur, ſingulorū uncijs quatuor: ijs inſuper addito ſucci intubi uncias tres, & ſucci mentæ uncias quatuor & ſemiſſem: cœleſtis aquę, & uini Cretici pares portio

nes,

nes, quantum satis ex ijs omnibus est. Succi primo attenuati esse debẽt, mox omnibus perquàm belle commixtis, more iulep nostri temporis ex saccaro albissimo condiantur, & ex moscho aromatizetur.

Ptissanam antiqui ex omni frumẽtaceorum genere parare consueuerunt, quam plerunque uel ex defruto (quod ex musto ad dimidias decocto autore Plinio fit) aut melle: alij autem ex amylo, cumino'ue, aut pipere etiam cõficiebant: Quod cum Hippocrates nostræ omnis medicinæ parens ægrotis qui ea frequẽtissime uti debẽt, insalubrem esse animaduerteret, aliã & quidem simplicissimam cõficiendi rationem ex solo hordeo descripsit. Eam nẽpe ob ipsius breuitatem, Galenus suis postea in monumentis ut obscuram hac methodo excoluisse, memoriæ proditum est. In primis nanq; hordeum liberiori solo, & collibus natum esse oportet, candidum, & magnitudine, & pondere præpollens, & bene maturum. Quæ maturitas ab eius leuore, & plenitudine facilè dignoscitur. Nam rugarum copia hordeum uel imperfectum, uel uetustate affectum ostendit. Vetus enim uiribus amissis ignauũ redditur, recens demessum ob humiditatem excedentem, quam ex solo cõtraxit, flatu abundat. Media igitur ætate esse debet, & ab omni penitus insolente qualitate

alienum, & quod inter coquendum plurimùm crescat, & in tumorem attollatur: Hæc planè hordei exquisiti sunt indicia. In quo cum multæ partes natura ferè absimiles esse appareant, non alienum fuerit, ad ægrorum utilitatem, de eis plenè disserere. Constant nanque corio exteriore, quod M. Varro glumam, alij autem, quod in furfures transit, furfures uocant, siccitate quidem flatuosaque & astringendi facultate insigne. Quamobrem ptissanam recte parare cupientes, ut flatus & siccitatis expers sit, corticem ipsum abijcere solent. Infra priorem tunicam, altera tenuior adest membranula, quę etiã furfuracea est, & hordei granum obducit, prioris sanè corticis naturam, minore tamen ui referens. Ex qua ptissanam, qui eam ualidius abstergere concupiscunt, conficere student. Quapropter in membranis ipsis abstersoria facultas maior certè quàm in hordei substantia esse uidetur. Aliud hordei genus tenui tantũ membranula cõstare nostris etiã temporibus, quàm sępissime uidimus, quod Plin. lib. XVIII. glabrũ appellat. Eius nanque spica uulgari nostro hordeo minor est, granũ maiori acumine gracilius. Id uerò ad ptissanã cõficiendã (cùm in uulgari nostro hordeo nõ minima opera ad cortices amouẽdos indigeamus) etiã cõmodius esse opinor. Qđ certè ubi cõsulto experiri curaui,
cremo

cremorẽ,ſuccumq́ ipſius,odore,guſtatu,& colore,à cõmuni nihil omnino differre perſpexi. Qua de cauſa,neq ipſum in uiribus abſimile iudicãdũ.Hordeũ igitur uel uulgare, uel glabrũ ex aqua pluuia, quæ cum tonitru deſcendit, percoquendum eſt, utpote quæ cæteris aquis eſt ſalubrior.Nam eam Hippocrates citius calefieri,atque refrigerari cenſet: leuiorem item, & quam externæ qualitates facilius immutãt: non inflare præterea,neque in præcordijs diuturniorem morã contrahere poſſe:quæ omnia, cùm ad aquæ bonitatẽ facere ſolẽt, in ea ptiſſanam ipſam conficere refert. Pluuiæ aquæ bonitati propior eſt, quæ ex puteis, & fontibus, de ſummis pręcipuè collibus defluxit.His igitur in aquis hordeum linteo aſperiore, à corio ſaltem exteriori purgatũ in primis maceretur. Quod poſtea uſque eò manibus attrectari debet,ut à tenuiori membrana etiã repurgetur. Ea quidem ut in confeſſo habeatur, paleæ colorem prę ſe fert:uitreo uaſe,aut terreo uitreato,hordei à cortice dempto libra, ex aquæ libris xv. uſque adeò decoquendum, ut aqua ipſa citri mali colorem referat, & hordeum in amplum tumorem attollatur, & crepet, ignis uſque dum ferueat,largior ſit,poſtea ut ſuccus ex hordeo lentiſsime eliciatur,tenuior. Hac enim ratione decoctum hordeum,quicquid non

ſolum in eo flatuoſi extiterit, reſoluitur, uerum etiam ptiſſanæ ipſius commoda facilius conſequuntur. Scire prҿterea oportet Hippocratem hordei decoctum, & ipſius ſubſtantiam ptiſſanam appellare conſueuiſſe: hancq́ modò ſuccum, modò ptiſſanã; illud uerò hordei aquam, & cremorem pro arbitrio nuncupaſſe. In his planè facultas uaria eſt: nam cremorem parum, ſuccum uerò multum alere memoriҿ prodidit: utriq́ tamen refrigerandi poteſtas, quam ſtomacho haud officere putant, ineſt, & ſucco humens facultas maior. Quem ſuccum in prҿſentia ptiſſanam ſemper, ad doctrinæ facilitatem, & alterum cremorem uocare libet. Vnde cùm ſitim, & febrium calorem ſedare animus fuerit, cremore: ad alendũ uerò, & corpori humidum augendum, ptiſſana ſalubriter utemur. Cùm igitur in præſentia noſtri ſit propoſiti de eis tantum ſcribere, quæ ad tuam ualetudinẽ conducunt, ſat mihi fuiſſe perſuaſi ptiſſanã ipſam ad tuum commodum utiliſsimam eſſe proponere. Nam maiorẽ de ea diſſertationem (ut fortaſſe par erat) ne fortè prolixior mea tibi oratio uideretur, & ſtomachum afferret, conſultò omiſi. Quæ ptiſſana, ut guſtatui etiam tuo iucundior reddatur, hordeo percolato quantum ſaccari albiſsimi, & peponis ſeminum contuſorum uidebitur, addito. Ex iureq́ pulli gallinacei, uel

cei, uel hordeo ipſius cremore in ſorbitionem redigito, & eo modo frequẽtiſsime utitor. Cremore ipſo æſtate, ſi interdiu ſitis urgeret, etiam uti ſaluberrimum fuerit.

Hæc ſunt, quæ ad tuas affectiones rogatu tuo, pro tẽporis opportunitate ſcribere potui. Quæ licet, ſicut animus meus, & amplitudinis tuæ dignitas in primis poſtulabant, non ſint, ea tamen qualitercunque potuerunt, ex corde emanaſſe cognoſces: utcunque nihilominus ſe habuerint, ut æqui boniq; conſulas, te iterum atq; iterum rogo. Vale ſexto Idus Iulij

M. D. XXXIII.

Bononiæ.

DE MISSIONE SANGVINIS IN PLEVRITIDE MORBO.

PROSPER CALANIVS THOMAE CALANIO MEDICO S. D.



VCRETIAM Calaniam, fratris tui uxorem, iam tertio abhinc anno, menſe Martio, pleuritide ſiniſtri lateris, eodē ferè tempore, acriter affectam fuiſſe ſcribis, uſque eò, ut exigua in ſpe traxerit animam: proinde prius ac menſis Martius anni huius aduentet, ne fortè (quod Deus optim. maxi. auertat) morbo maximè periculoſo corripiatur, eius præcautionē uehementer optare. Conſtat nanq; eam duo de triginta annorum ætatis eſſe, & temperamenti cum multa bilis permixtione ſanguinei, & uictu admodum licentioſo aſſuetam.

Eam igitur quia lectiſsimam eſſe fœminam ſcio, atq; animi maximè ſingularis, ſecundamq; eius ualetudinem familiæ tuæ ualde neceſſariam, ne tantis obnoxiam malis eſſe patiamur,

præſtabit

præſtabit in primis menſe Februario extremo (conſentientibus ſcilicet illis, quæ nos, ut optimè calles, Hippocrates edocuit) ſanguinem ex dextro eius cubito liberaliter mittere. Iſtā uerò ſanguinis ante morbum detractionē, illam, illam eſſe ſcire oportet mi Calani, quam Galenus ſecundo de Natura humana cōmentario, diuiniq; illius ſeculi celebres Medici à contraria parte, & q̃ longiſsimè à locis in quibus dolores eſſe conſueuere, fieri iuſſerunt, ut redundantes humores ad alias fluere particulas cōmodius aſſueſcant. Hanc nanq;, quādoquidem ſanitatis tempore moliebātur, præuiſiuam appellarunt, morbis planè incipientibus minime accōmodatam: Quamobrem nō obſcurè neotericos hallucinari uidemus, qui incipiēte pleuritide in qua curatio, & nō præſeruatio cōpetit, ex altero latere loci affecti ſanguinē extrahunt: Quod planè in antiquorum placitis abſurdum eſſe facilè iudicatur. Nam ſi quæ Galenus hoc in caſu ſcriptis memoriæ prodidit (ſicut decet) recipiuntur, meridiano ſole neotericorum ipſorum errores clariores apparebūt. De quibus, etſi ſæpenumero tecū tumultuaria propè diſputatione diſſeruerim, tamē non alienum fore arbitror in præſentia etiam aliquid agere: ut ab omni recentiorum labe (abſit uerbo inuidia) ſemotus, ad ueriorē ſalubrioremq;

medendi

medendi methodum confugere posſis. Quandoquidem iam inde à tuorum ſtudiorũ principio pro tua in me fide te proſecutum fuiſſe cognoui. Sed ne actum, ut dicunt, agere uidear, ea tantum, quæ acta ætate nemo unus hoc in negotio me iudice ſcripſerit, uelut efficacíſsima adducam. Scire tamẽ primo licet hanc ſanguinis mittendi rationem, de qua in præſentia diſſero, in pleuritidis morbo à pleriſq; noſtri temporis doctiſsimis uiris, mea memoria iandiu uſurpatam fuiſſe: inter quos, Ioannes Aquilanus Patauinus, & Petrus Roſatus ſummi tem porum ſuorũ Hippocraticæ huius diſciplinæ profeſſores habiti ſunt: ſecuta deinde ætate, eam ipſam methodum Petrus Briſotus homo Gallus præclariſsimis monumẽtis adeò excoluit, ut ea perpetuò duratura exiſtimẽtur. Qui certè longè plura etiã alia ex antiquorum diſciplinis temporis diuturnitate, & barbarorũ inſcitia ferè obliterata reuocaſſet, ni miſerabili interitu in Ticino amne ætate ſua florente imprudenter obrutus fuiſſet.

Sed ad rem ut ueniam, operæpretium eſt intueri Galeni genuinã mentem extitiſſe, pleuritide etiã incipiẽte cubiti uenã, ex affectę partis regione ſecare, utpote libro, quem de præſagio per experientiã confirmato, edidit: & de curatione faciẽda per ſanguinis miſsionem; quarto

etiam

etiam de uictus ratione in morbis acutis, ubi clarissimis planè uerbis in laterũ morbo (si sanguinis ipsius extrahẽdi ratio expediat) ex eadem parte, etiã in morbi ipsius principio mittendum esse profitetur. Adsunt præterea sexcentæ propè aliæ Galeni sententiæ, ex quibus uenæ incidendæ scopus in laterum affectionibus facilè cõprehenditur: Quas, ne ab alijs iam dicta recenseã, & quæ tu sępius perlegisti edocerem, consultò prætermisi.

Sed roget quis opto mi Calani, qualemnam mentem Galenũ habuisse putauerim cõmentatione nona libri secundi de uictus ratione in morbis acutis, ubi de uenarũ positu, quæstioni nostræ inseruiente luculenter, si alibi unquam aliàs, disseruisse uidetur: nihil utiq; aliud, nisi ut brachij totius uenarũ processum ostẽderet, respondere: Eoq; sciremus, ex quibus in primis partibus uenã incisam sanguis sequatur. Constat igitur ob illius positũ, stãte affectu dextra in parte, sanguinẽ in sinistra detractũ uel nullã, uel longè obscurã, tardissimamq; utilitatẽ præstare: quod planè, prima cõmentationis ipsius parte pro certo habetur. inquit enim: Cum igitur superiorum cõdolentia signum fecerit, uenam in cubito secare eam oportet, quæ sanguinem ab affecta parte & magis, & uelocius tum reuellere, tum uacuare posit; id autẽ ex eadem

regione

regione ſanguis detractus egregie facit,& non ex contraria. Quod commẽtationis ipſius fine etiam dilucidius oſtẽdit. Nam deſcripto uenarum ipſarum poſitu, ſic ait: Nos uerò partem eam,quæ phlegmone obſidetur,tum celeriter, tum quàm cęteras partes,magis in acutis præſertim morbis uacuare cõtendimus. Quod ſanè interna cubiti uena facit,multoq́ magis ubi ſanguinis redundantia ad ſuperiora uergere uideatur, aut ſuperiores thoracis partes affectæ ſint.

Quapropter Neotericorum gloſſemata,uelut obſoleta me iudice refellenda uidentur:qui uel ex toto, uel ex maiori parte iam fluxa,ut dicunt materia, eiuſdem partis ſecandam tantum uenam eſſe contendunt:morbi autem initio magis præſeruare ſtudentes ex contraria. Quippe Galenum morbi principiũ certò profeſſum fuiſſe uidemus, ubi ſuperiorũ partium condolentiam,ſignum,id eſt,indicationem, feciſſe deſcripſit. In quo planè noſtrã hanc phlebotomiam, & non præuiſionẽ, ut putant neoterici,conuenire prædiximus.

Cæterum recipiãtur uelut uerißima recentiorum Medicorũ decreta,defluxa ſcilicet materia, quod nequaquam morbi principio eſſe cõtendunt,ab eadem tantum parte ſanguinem mittẽdum fore.Quo caſu,ſcire primò oportet, num

num phlegmones materia, à longinquioribus partibus defluxa sit, uel ipso potius ex loco, propinquioribus´ue, iam tum affectis, ob feruorem incrementum susceperit. Illud profectò neoterici arbitrantur, hoc Galeni sectatores. Siquidem pleuritis, ubi ex distillatione (sicut frequentius accidit) prouenit, distillationem ipsam per sanguinis missionē auertere credūt: Quippe sanguis ob uenæ incisionem sequitur, & non distillatio ea, quam à capite profluere prædiximus, cuius quidem malignitate, pars affecta certò dolet: Ob dolorē autem, & excedentem caliditatem, quam in particula contraxit, sanguinis ipsa in particula fit feruor, ex quo uenæ tument, quo tumore sanguis ipse ab ijs uenis uel resudat, uel erumpit, ex'q; eo phlegmones omnis materiā esse Galenus pluribus suis monumētis memoriæ prodidit, argumentum'q;, inflammationis incisione constare. Ex qua sanguinem semper emanare perspicimus. Omnis igitur sanguinis feruor, & concursus (qui recte initio auertendus est) etiā inchoante phlegmone in parte affecta, sicut infrà manifeste apparebit, uidetur esse. Ergo per uenæ eius regionis incisionem morbi initio auertitur, reuellitur, euacuatur. Quod certe à Celso optimo Hippocratis interprete de costæ ob ictum curatione usurpatum est. Distillatio autem,

quæ (ut prædiximus) pleuritida irritauit, quãdoquidem extra uenas est, utcunque per sanguinis misionẽ nec auerti, nec euacuari posse censetur: sed gargarissatione potius, alui deiectione, ex medicamentisque sputum prolicientibus, frictione, & id genus.

Etsi plerisque in locis Galenus scribat auersionem per scalpellum, quam Græci antispasim uocant, in abscessibus præsertim ex contraria parte faciendam, proinde in pleuritide eandem quoque rationem obseruandam.

Paulus Galeni luculentus interpres, de lienis curatione auersionẽ antispaticam ex eadem (ut dicunt) parte recte fieri memoriæ prodidit, quoniam ex eis sit, quæ intus habentur, ad ea quæ foris sunt: Vnde sanguis ex læuo cubito missus, lienis inflãmationes diuertere, eoque longius, si ex manu.

Quamobrem, uel læuam manum læuo lateri contrariam esse fateri necesse est, uel Paulum (quod procul à uero est) in Galeni placitis hallucinatum fuisse. Sinistrum enim latus dextro, mathematicorum more, quoniã diuersam corporum positurã obseruant, cõtrariũ est. Et pro naturæ etiã lege continentis partis extremum alterum alteri cõtrarium habetur, quod planè contrarium in præsentia ab opposito, ut opinatur Aristoteles, haud diducere libet. Exempli gratia,

gratia, Vnius lineæ postremũ, alteri est cõtrarium, & eius lineæ mediũ æquè atq; alteri extremo contrarium: uenarum nanq; filamenta, quæ linearum instar producunt, contrariũ hoc naturæ positum obseruandum ostẽdunt. Quapropter ubi hoc in casu Galenum cõtrarij meminisse cõpereris, de naturali, & nõ de Mathematico sensisse facilè iudicabis. Hoc siquidẽ naturale contrariũ, fortasse etiam recẽtiorum aliquorum placita, accepere. Nam fluxa ex toto, uel maiori parte materia, ubi cruentum extrà euocare cõtendunt, cucurbitulã parti affectæ, sicut Hippocratis sectatores recte admouent, idq; erit ex eadem parte sanguinẽ mittere: ex cõtraria uerò, quãdo ex eius lateris cubito uel manu. Quod si à neotericis haud receptũ fuerit, ne omnia, quæ pro eorũ opinione, uelut nescio quid inuiolabile obseruãt, omnino taceantur, inter cætera Galeni autoritatẽ, utpote efficacissimam, quam libro XIII. Therapentices scripsit, interpretari haud alienũ esse existimaui: cuius intelligẽtia, huius dissertationis ueritatem, facilè nos consequi posse existimamus. Siquidem libri eiusdem principio phlegmones curãdæ methodum, & eius generationis rationem in hanc sententiam exponit.

Etenim demõstratũ est phlegmonen omnem è sanguinis cõfluxu consistere, qui alijs statim

calidior est,quàm pro natura fuit,omnibus certè in ipsa parte,quæ phlegmone uexatur. Atque hoc omnium sectarum cōmune est,siue impactum tantum sanguinē in finibus uasorū, phlegmones causam uelint,siue intercidentiā eius (παρέμπτωσιν uocant) in solis arterijs, siue obstructionē aliquam,siue in raritatibus ratione contemplabilibus,resistentiā. Quò fit,ut etiā curationis indicatio omnibus sit communis,nempe uacuatio redundantis in particula phlegmone obsessa sanguinis. Phlegmones uerò quæ in generatione adhuc est,duplex indicatio est,ueluti in reliquis morbis omnibus quicunque in gignendo adhuc sunt, nec dum absolutionē sunt nacti. Nam quod eorū generatū iam est,id medicinæ artis parti, quæ morbos curat, subijcitur; quod in generatione adhuc est, parti,quæ futurum morbū præcauet. Atque idcirco diximus,nō simplicē,sed cōpositam esse totā de ijs ægritudinibus,quę in generatione adhuc sunt, medentis solicitudinem,ex ea scilicet,quæ prouidet,& ea quæ curat,sicut etiā si omnino phlegmone laborare adhuc non cœperit,sed tamen appareat iā subesse in corpore genus aliquod eorū,quæ phlegmonen excitare posśint,in talibus quoque omnibus sola prouisio indicatur. At si nulla adhuc in corpore causa subalitur,ijs qui ita se habēt,ea,quæ sanitatis est tutrix,prouidet.

uidet. Ergo quæ causæ phlegmonen accersere uidentur, has cùm iam in corpore sint cõceptę, sed tamen exiguæ adhuc, & incipiẽtes, utiq; ne maiores fiant, inhibere conueniet, atq; hoc cauentis phlegmonen est officium. Cum uerò ea magnitudine sint, ut iam phlegmonen creent, eas summouere oportet, ac quantum iam phlegmones genitum est, sanare.

O' quàm aperte dij boni, neotericos in hac methodo hallucinatos fuisse perspicimus: qui incipiente pleuritide ex dextra parte, si affecta sit sinistra sanguinẽ mittẽtes, præcautionẽ moliuntur: quod ut clarius appareat, singulas autoritatis ipsius partes operæpretiũ est cõsiderare. Dicit nanq; primo ꝙ sæpissime demõstratum fuisse, libro scilicet de Tumoribus præter naturã, de Inæquali item intẽperie, & libro de Febriũ differẽtijs, plerisq; etiã alijs ĩ locis, phlegmonen omnem è sanguinis cõfluxu cõsistere. Proinde in eius curatione sanguinẽ opportunissime in principio mitti. Quippe cùm primũ particula uel suapte natura, uel ex maligna quapiam distillatione (sicuti plerunq; accidit) affecta fuerit, ob extraneũ calorẽ, in ea scilicet parte, quæ phlegmone uexatur, iam cõtractũ, omniũ sectarũ cõsensu sanguis ipse calidior, ꝙ pro natura fuit, efficitur, cuius calore feruet: ob idq; ex uenis inibi existẽtibus uel resudat, uel

 erumpit,

erũpit, & proximiorẽ, cognata quadã facultate sanguinẽ eatenus ad se trahit, quatenus abscessus ad iustum ipsius tumorem excreuerit. Quãobrẽ, ex ijs uerbis clarissimè patere arbitror, sanguinẽ qui iã fluxit, moxq́ fluxurũ, in particulæ affectę latere esse. Proinde uenam ex eius loci cubito uel citius, uel serius secare, maxime cõducere. Hacq́ ex causa perspicuũ esse, duplici illa methodo, quã Galenus in phlegmones incipiẽtis curatione habendã scripsit, satisfactum iri. Nam si phlegmone ipsa adhuc integra nõ sit (de auxilio tãtũ, quod per sanguinis missionẽ fit, & nõ de medicamentis, quæ phlegmonẽ inhibere possunt, utpote refrigerãtia, cõtendo) ad oppositã partẽ, quam manũ eius lateris esse prò filamẽti uenarum ratione, ut suprà disserui, sanguis defluxurus, ocyssime retrahitur, & qui iam tum uerò confluxit, euacuatur. Quod planè remedium ob id præstantius censetur, cùm binas illas indicationes tẽporis momento obire uideatur.

Sed fac ita esse mi Calani, ut recẽtioribus placet, hanc scilicet sanguinis missionẽ, quam cæteris præstare dissero, prouisionẽ illam minime perficere. Qua igitur ratione, obsecro, fluxurũ illum sanguinẽ inhibere studebimus, nẽpe ex alterius lateris cubiti (ut cõtendunt) incisione?

De hac planè phlebotomia in primis, inchoãte scili

te ſcilicet morbo, nuſquam Galenũ meminiſſe (ſi recte memoria teneo) arbitror. Quam uelut ſuperuacaneam conſulto potius obticuiſſe ueriſimile eſt: cùm eius cõtrariam, ubi de laterum morbis clarißime diſſeruit, ſemper ſtatuiſſe uideatur. Quippe qui ſuis in monumẽtis doctrinæ gratia uſq; adeò copioſus extitit, ut uel minutißima quæq; ſilentio nõ prætermiſerit, magnæ quidem dementię aſcribendum foret, rem adeò neceſſariam (ut dicunt) obticuiſſe.

Patere inſuper tanq; in tabula arbitror, uiſcerum præſertim humanorũ ſcrutatoribus, ſanguinis uncias ſex, à dextro cubito miſſas, ne tãtillum quidẽ à phlegmone in ſiniſtro latere incipiente reuellere. Quippe cùm uena caua, quam κοιλὴν uocãt, Galeno autore, de fœtus formatione æqualiter ramos tam à dextris, q̃ à ſiniſtris tranſmittat, neceſſe eſt, priuſq; id cõſequi poſſe uideamus, ſanguinẽ primò, uel eius portiunculam, à dextra ipſa parte exhauriri: deinde exinanitis emiſſarijs à uena caua ſanguinẽ ipſum trahere oportet: cauam poſtremò ab inflãmata lateris particula: unde cùm haud facilè id mihi perſuaderi poſſe exiſtimauerim, tam exiguam ſanguinis portiunculã, ab uno latere extractã, ab altero inflãmationẽ diuertere, uelim profectò Auicẽnæ ſectatores, eã in ſanguine ipſo coloris mutationẽ, nobis oſtẽtarẽt, quã incipiẽte

pleuritide uisendam cõtendunt. Eam certe (ut opinor) nec si binę, aut amplius sanguinis librę ex cõtraria mitterẽtur, prospiciendã curarent: Contrà libram dimidiam, aut aliquanto plus, ex eadem detractam, id egregiè fecisse sæpenumero testamur.

Præterea cũ suprà clarissime demõstratum sit, sanguinẽ ad phlegmones generationẽ paratum, in affecta particula ex toto cõsistere, in cõfesso certè omnium aderit, sanguinẽ ipsum ex eadem parte perpetuò (ut Galeni uerbis utamur) detrahendũ. Quod ut tanti autoris etiam testimonio muniatur, paulò pòst, In doloribus (inquit) afflicta particula incipit causa ab eo quod affligitur, sed quicquid est phlegmones, id superpositæ partes efficiunt. Ergo quòd ad partem calfactam uel trahuntur uicini succi, ut nos censemus, uel cõfluunt, ut Asclepiades putat, euidenter cernitur. Et constant hoc loco ex ipso, quod cernitur sermoni fides.

Pertinacis igitur animi eos esse cõtendo, qui clarissimæ Galeni methodo per summã iniuriã aduersari potius, quàm ab eo sese, in quo iam cõsenuerunt, errore, recipere. Quod ne in eorũ numerum meritò ascribaris, eam pedibus manibusque, ut soles, aggredere. Equidẽ, licet plures iam annos Arabum sectã in pleuritidis curatione secutus fuerim, Brisoto tamẽ autore, decimo

cimo ab hinc anno Galenũ imitatus ex eadem perpetuò parte ſanguinem proſpere detraxi.

Hæc licet fortaſſe nimis libere diſſeruerim, tamen ut poſtulationibus tuis ſatisfacerem, in præſentia ſcripſi. Permulta nanque alia Galeni monumenta, ad huius ueritatis cognitionem nobis fuiſſent adducenda: quæ, ne prolixior fierem, & ne, quæ pleriq; alij doctiſsimi uiri memorię tradiderunt, referrem in uolumen, dedita opera omiſi. Sat planè tibi eſſe exiſtimaui, ut ex ijs quæ pro tempore diſſerui, de mea ſententia iudicare poſſes: quam ſi ut ſpero approbaueris, lucro aſcribam.

Sed ut ad Lucretiam reuertar, locus admonet. Extremo inquam Februario, pręmiſſa alui deiectione, ſi quæ in phlebotomia obſeruanda ſunt, conſentient, manè ex dextro cubito, tres ſanguinis uncias mittito, poſtridie tantundem etiam extrahito, ab hinc quoq; quinto die tantundem etiam ſanguinis auferto. Ex hac enim triplici ſanguinis miſsione, ea humoris redundantia, quæ ad ſiniſtrum latus ferri ſolebat, ad dextram forte fortuna facilius fluere aſſueſcet.

Poſtero ab hoc die, multo mane, medicamentum, quod ſanguinem in primis integerrimum reddere poſsit, & bilem temperare, exhibeto. Noſtra ætas, ea ſyrupos appellat, & præſtare eos cenſeo, quos de boragine, de lupulis, & ro-

sarum rubrarum succo uocant. Eis senæ, aut herbæ cincinalis decoctum commode permiscetur. Post hos ubi concoctio in lotio apparebit, aluum uel ex manna nostra (cuius Galenũ Alimẽtorum tertio capite de melle meminisse puto) uel cassia fistula (qua certè antiquiores Græci in usu medicinali caruere) mollito, idq́; iterum ubi tempestiuũ iudicabis ex uehementiori pharmaco: uerbi causa, Agarico, radice barbarica, & scammonio peragito. Neque post has purgationes donec mensem Aprilem exactum uideris, ex domesticis catapotijs frequenter uentrem ciere alienum putato. Hac siquidẽ ratione excrementa, quæ in corpore redundabunt, & sanguinis feruor, & abundãtia, ne phlegmonen parere possint, facilè dementur. Præter hæc, hoc tempore uictus ratio ex cibis mediæ materiæ esto: acria omnia, salsa, prædulcia: uinum meracum, & in summa cibaria omnia, quæ sanguinem largiter gignunt, & multum alunt, circuncidito. Reliqua autem, quæ rationem præseruãdi occasionem præbẽt, cùm tute facilè eligere possis, de industria prætermitto. Et ut ad extremum deueniam, mensis Aprilis ubi præterierit, ne Lucretia ullis amplius se medicinæ legibus implicet, caueto. Vale Bononiæ, Calend. Ianuarij. M. D. XXX.

DE SAPORE AVSTERO, ACRI, ET ACIDO.

GASPARI ARGILLENSI PROSPER CALANIVS S. D.



SSIDVA tua ſtudia in Aurelio Cornelio Celſo grauiſſimo autore (niſi pro ualetudine aliquando intermittantur) inter huius Bononienſis Academiæ literatos frequentiſsimos occaſionẽ præbere ſolẽt, ut permulta, quæ ante nos diſciplinarũ profeſſores uel ignorantia, uel negligentia obſoleuerunt, ad priſtinum ſuum candorem, & cultum reſtituantur. Et inter cætera nuper, quæ de ſapore Auſtero, Acri, & Acido diſputata ſunt, non mediocrem quæſtionem ſuſcitarunt. Qui nam ſint ſcilicet apud Celſum hi ſapores, quibus´ue nominibus apud noſtros appellentur. Recentiores eos quaſi ſimilimos, & minimè diſsidentes, parumq; diſtinctos habuerunt: Solidioris uerò doctrinæ Medici, ob diuerſam facultatem, uarios. Vnde non ab re futurum arbitror, ſi quæ

de eis ſentio,ſicut iuſsiſti,in pręſentia ad te ſcribam.Quòd ſi ad guſtatum tuum facient, lætabor:ſin minus,cæteris doctis,ut meliora excogitare debeant, certè calcar admouebo. Qua in re ſcire primò oportet,exquiſitiſsimam huius negotij rationem ita difficilem eſſe, ut explicari minimè poſſe uideatur.Quamobrem in ijs,ſicut cæteris ſcientiarum inuolucris, tantæ differētiæ,diſceptationes,& opinionum uarietates exoriūtur,ut ſublimia ingenia ob tot difficultates propoſitas, à bonis plerunq; artibus declinare uideantur.

Igitur ad rem ut ueniamus,ſcire intereſt,inter grauiſsimos autores,Plinium tredecim ſtatuiſſe ſapores, nempe, Acerbum, Auſterum, Acidum,Pinguem,Dulcem, Suauem,Acrem, Acutum,Salſum,Amarum:& præter hos,etiā mirabili maximè natura tres alios, utpote quē in uino reperimus,quod licet auſterum, & acutum,& dulce & ſuaue plerunque ſit, omnes tamen hi ſapores alieni ſunt, id eſt, uino ipſi non proprij.Et ſimul iuncti,uino tantùm eos attribui poſſe,contendunt.Aequè in lacte alia ſaporis ratio,& excellētia ineſt, quod licet iure dulce dici non poſsit,nec pingue : dulcedinem tamen in eo, & pinguedinem quandam inuenimus,& ſuauitatem cum lenitate ſuperāte,quæ in ſaporis uicē manifeſte ſuccedit. Aquæ præ-

terea

terea ſapor adeſt, qui nullus ex prædictis cenſetur eſſe,qui ſuum genus facere poſsit.Siquidem uitium eſt,ubi in aqua uel ſapor, uel odor quiſpiam ſentitur. Theophraſtus uerò de Cauſis plantarum ſeptem tantùm uidetur poſuiſſe ſapores: dulcem ſcilicet,pinguem,amarum,auſterum,acrem,acidum, & acerbum. Salſum licet ex aliorum ſententia octauum eſſe tradiderit,cùm tamen ſalſedinem in nullo fructu reperimus,quæ ex alterius qualitatis communicatione,& non propria fieri apparet,eam inter ſapores adſcribere ſubdubitauit. Acidum etiam ab acuto,& lene à dulci minime diduxit.Quapropter idem autor in ſaporum nomenclatura parum à Plinio diſsidere uidetur.

Galenus autem optimus Hippocratis interpres,in ſaporibus ſimpliciſsimos tantum nominauit: inter quos Adſtrictionis, Auſteritatis, Acerbi,Amari,Salſedinis, Acoris, Acetoſitatis,Dulcedinis,& Pinguis ſuis in monumentis meminiſſe uidemus.Qua ex cauſa de ijs ſolùm in præſentia diſſeram, quarum rationem, cùm aliunde certiorem habere non poſsimus, eam ſatis erit,opinor,in aliquorum fructuũ guſtatu exploratã habeamus. Nam cum alius meſpilis ſenſus,& alius myrti baccis, & alius cydonijs ſit,cùm primum linguæ corpus occurrerit,quod ex quacũq; parte æqualiter tangat,

uelut

uelut exprimens quoddam, inculcans'ue, atq; cogens, eum retrò pellere uideatur: ſicut, exẽpli gratia, in pyri ſylueſtris, & corni baccæ guſtatu contingit, id iure acerbum ſaporem obtinere dicemus. Auſteri profundum linguæ ingredi percipiuntur, & aſperum quendam, inæqualemq; ſenſum inuehere, atq; exiccando, omnem ſenſilium partium humidum extrudere. Acida, quandoquidem cum ſubtilioris ſubſtantiæ ſint, ſine aſtrictione, magis & uelocius, maioriq; cum æqualitate, & morſu abſq; calore, altiora linguæ petere uidemus. Quæ acida, ubi in terrã effunduntur, feruoris neſcio quam ſpeciem repræſentant. Id autem corpus, ſi linguam contrahit, & conſtipat tantum, ſicut meſpilum, aſtringendi facultate, quam Græci ſtypſin uocant, pollebit: quam etiam Theophraſtus ab auſtero, cùm uel minimum diſtẽt, haud diuiſit. Morſus, qui cum ingenti calore fuerit, & eroſione, uelut in allijs, pyrethro, & cæpis apparet, acorẽ, acrimoniam'ue præfert. Si uerò uelut ungat, oppleatq; & ſcabritiem reprimat, & linguæ partes tanquam eroſas multa iucunditate pertingat, dulce extiterit. Quæ omnia cùm ſine iucunditate fuerint, ſaporem pinguẽ, & oleoſum conſtituent. At cum abſterſione, & ablutione, ſalſum: & cum maiori aſtringendi facultate, quæ abradere uideatur, amarorem.

Hæc

Hęc eſt ſynceriſsimorum ſaporum facultas, à fructuum deguſtatione exorta. Ex qua quid ſecundum Galenum Acerbus, quid Auſterus, quid Acidus, quid deniq; ſapor omnis ſit, per te cōprehendere poteris. Nam Dulcis, Auſteri, & Acidi ſaporis exēplū, in triplici mali Punici genere, Paulo autore, deprehendes: Aſtringentis in meſpilo, corni bacca, cydonio: Acuti, & Acrimoniæ ſimul cum Acido, In acerrimo aceto: in allijs, & porro Acrimonia, omnium ſaporum calidiſsima habetur: Amarum in colocyntide, & aloë: Salſum in ſale: In oliuis maturis Pingue: qui fructus, ubi acerbi ſunt, autore Theophraſto, ligneam obtinēt ſubſtantiam, & terreſtri, frigidaq; facultate præpollent: à qua ob calorem uel frigidum, uel ob utrunque ſimul facilè exoluuntur. Quippe cùm fructus ipſi humidi & mollitudinis expertes fuerint, & in duritate ſua, ſicut caſtaneæ perſiſtent, ſi tantum incaluerint, dulcedinem ſolùm cōſequuntur: Si uerò tantum inhumeſcent, craſsioriſq; ſimul & aquoſæ ſubſtantiæ humor ille extiterit, acerbo ſapore diſſoluto, auſteri efficientur. Omnem nanq; ſaporis uim aqueus ſapor obtundit. Aſt ubi tenuis ſubſtantia, & aëreus humor inſtabit, acidus ſapor emergit: Quæ aciditas à frigido tenuem ſubſtantiam habente, ut plurimum originem trahit, Hacq; ex cauſa, &

citius

citius & æquabilius, quàm auſtera, & acerba, ſicut prædixi, corpus afficiunt. Sin fructus ipſi humidiores ſimul & calidiores cùm aqueo humore euaſerint, in dulcedinem deſinunt: cùm aëreo uerò, in pinguem. In quibus ſi ob immodicum calorem terrenus etiam humor increſcat, amareſcunt. Amarus enim ſapor ex maiori terreſtris humoris portione à calore maxime confecto, quando cum pauxillulo humidi permiſceri contingit, oritur. Verùm ſi non æquè terreſtris humor cum aqueo æqua fuerit portione coniunctus, uel quod terreus ea in cõplexione non ſuperabundat, ſalſus efficietur: qui licet in calore ab amaro parum differat, diuerſæ tamen facultatis uideatur: Quippe amara magis à calido & ſicco elaborata, tenuiores partes habent, & ob id corruptioni haud obnoxia ſunt, neque ex ijs alitur homo. Contrà, ex ſalſis paſcimur, eaq́; putredinem admittũt. Et licet ſal ipſe putredinis expers ſit, tenuiori tamen, & magis aquoſo humore, quàm amara abundat, præſertim friabilis, & laxus. Foſsilis uerò minus calidus eſt, quoniam magis terreſtris, & ſiccus, & ſapori amaro magis propinquus. Vnde apparet pleriſque in locis ſalem amarum eſſe. Hacq́; ex cauſa autorum plurimi ſalſum ab amaro, quoniam, ſicut prædixi, natura propinqua ſunt, haud diduxere. Acria item,
licet

licet omnium ſaporum calidiſsima habeantur, à ſalſis tamen & amaris, haud parum diſtant. Hæc nanque terrei multum, & humoris parum habent: Contrà illa humidi multum, terrei uel nihil, uel parum, ijsq; ideo abunde uescimur. Quamobrem, ut uariam in fructibus rationem concedamus neceſſe eſt: Siquidem cùm ex alia in aliam ſaporis qualitatem per excoctionem tranſeant, alij in plures, alij in pauciores qualitates tranſire ſoliti ſunt. Enimuero, alij ex amaro in acerbum, ceu oliuis: Alij ex acerbo in dulcedinẽ, aut acidum, ceu pyra, & cętera: Etenim qui acidi ſunt, acerbi prius fuere: Alij primum acerbi, mox acidi, deinde dulciores redduntur, ut uuæ: Alij ex acerbo acidi, & ex acido dulces, ut mora: Alij acerbi primò, cùm auſteritate matureſcunt: Alij ſemper acerbi perſiſtunt. Quorum cum ſexcenta propè genera ſint, id à caloris diſpoſitione exoriatur neceſſe eſt: qui cùm maturitatis cauſa ſit, duplex in ſingulis eſſe cenſetur: nempe peculiaris, innatus´ue, & extrinſecus, qui à ſole comparatur: cuius cauſa eiuſdem arboris fructus uarios plerunq; ſapores acquirunt. Nam cùm inualeſcit ſolis calor, fructus ipſi pro naturæ ſuæ ratione dulcedinem nanciſcuntur. Si uerò imperfectus ſit, minus iuſto calefiunt. Refrigerati igitur facilius aceſcunt:

ex qua cauſa iure dicere poſſumus, uinum & refrigerari, & aceſcere, ob intempeſtiuum ſcilicet uel ſolis, uel alterius rei calorem. Ex quo natiuus calor corrumpitur. Ad eam nanque saporis naturam, unde profectum fuerat, diuerſa tamen ratione facilè reuertitur. Quippe uinum aciditatem ex uua acerba per naturam contrahit: Dum uerò aceſcit, ex putredinis calore: qui in eo in natiui uicem poſtea conſeruatur. Quapropter acetum ex toto natura frigidum eſſe non facilè dicimus. Quandoquidem in eius primo guſtatu, calor cum acrimonia, & acumine manifeſtè apparet: Quam cum ſtatim reſolutam, & aciditatem in membro diutius permanentem ſentimus, frigidam in aceto eſſe facultatem iure contendunt, argumentoq́ue eſſe, quòd æſtiuo tempore calefacti, ſi liberaliter poſcam biberint, per integram diem abſq́ue ſiti permanere conſueuerunt. Habes Argillenſis chariſsime, quantũ ad medicum pertinere uidetur, breuem de ſaporibus diſſertationem. In qua, ne longior eſſem, philoſophorum placita conſultò omiſi. Nam medico ſuperuacaneum eſſe ſtatui uniuſcuiuſque ſaporis differentias, ut Theophraſtus, & pleriq́ue philoſophorum faciunt, diſquirere & ſpecies, & genera, & cauſas, & figuram, ut Democrito placuit, & multa id genus alia: quæ cùm philoſo

philoſophis peculiaria ſint, ad illos refero, ratus mihi ſatis eſſe, ſi ad te ſcriberem, quæ Cornelij tui ſaporibus explicandis in pręſentia ſatisfacerent. Ex ijs enim te ſcire poſſe perſuaſum habeo, quid in Celſo ſit uinum lene auſterum, & dulce auſterum. Et quid auſterum ab acerbo, uel aſpero diſtet, quidq́ꝫ lene à dulci: & ſaporum deniq́ꝫ omnium differentias. De quibus, ſi pleniorem adhuc diſſertationem à me habere uolueris, cùm plus ocij nactus fuero, tibi pro uiribus ſatisfaciam. Interim cura ualetudinem tuã: qua nihil mihi antiquius eſſe ſcias uelim. Vale, Bononię Calendis Maij. 1535.

PROSPERI CALANII MEDICI SARzanensis commentarius, de Cordis tremore.

PROSPER CALANIVS ROMVLO AMASAEO SVO S. D. P.



X CORDIS tremore, (quem Græci τρόμον, & recentiores saltum, qui minus Latinè, iectigationẽ uocare consueuerunt) te plurimum iampridem male habere audiui; Cuius molestia cùm te haud parum torqueri sciam: quandoquidẽ uitæ principi, & singularibus animi tui dotibus maxime inimica est, operæ preciũ esse existimaui, tibi hoc nostro, qualecunqȝ fuerit, cõmentario subuenire. Nã pręclara illa ingenij tui munera propterea hebetari, & dulces amicorꝫ consuetudines necessariò ita intermitti facilè uidemus, ut nihil magis abs te amotũ esse, atqȝ hoc malũ exoptare, & curare debemus: cùm inter amantissimos tuos necessarios, me & esse, & annumerari gaudeam, eo nos ingenij, & studiorꝫ conatu cõtendere decet, unde nõ solùm aduersa hæc tua ualetudo accuratissimè propulsetur, uerùm etiã profli

profligata, te in tutum, tranquillumque statum, quoad eius effici posſit, conſeruatum eſſe gaudeamus: Quod ut ſumma cũ noſtra uoluptate, & perque facilè aſſequi ualeamus, Galeni nihilominus dogmata ſemper imitando, temperamenti tui habitũ in primis perſcrutari oportet, ex quo tremoris ipſius cauſas, eiusque ſymptomata, & quicquid denique ad curationis methodum pertinere uidetur, commodiſsimè deprehendemus. Quamobrem, cùm modo annus tuæ ætatis ſextus, & quadrageſimus uertatur, hac ipſa in ætate, corporis tui temperatura in primis bilioſa eſſe cenſetur; quæ, quanquàm in te abſque argumẽtis manifeſtiſsimè appareat, ab excedente tamẽ iecoris calore, à quo præcipuè naturalis temperatura depẽdet, eſſe oportet. Eam ipſam etiam auctiorem reddit & renum, & teſtiũ excellens calor. Quorũ omniũ cauſa, flauæ bilis multũ in te cõcreſcere ſolet. Quæ cùm ſubtilis ſit, & ignea, facili negotio adurit. Quapropter temperamentũ ipſum ex utriuſque bilis pmixtione eſſe cõtendo. Id nanque oſtendunt corporis macilentia, & pceritas, & ſumma in actionibus agilitas, color fuſcus, rubedine quadã reſperſus, pili nigri & criſpi, ingeniũ acre & uelox, & animi mores conſpicui. In quo animo nõ minor dexteritas, & prudentia, quàm grauitas, & integritas reperitur. Hæc ſi-

quidem ab atra, illa à flaua bile, ubi modũ non excesserint, autore Hippocrate, emanare consueuerunt. Et quanquam ob humorẽ, qui à capite continuè ferè descẽdit, eius naturalis temperatura humida esse uideatur: eam tamẽ capillus niger, & crispus, ingeniũ acre, & uelox, calidã potius esse ostendunt. Humiditas siquidẽ illa excremẽtosa est: & stomachi cruditate, quæ in te mirandũ in modum, ob uariarum curarũ agitationẽ, & diuturna, intempestiuaque literarum studia, maximè redundat, efficitur: Ex quo arbitrari licet, stomachi hãc imbecillitatẽ ex lõgioribus morbis tuis, utpote dysenteria illa magna, qua ante annũ abhinc xv. te acerbissimè uexatũ fuisse dicis, necnõ lõgioribus lectionibus, & diuersis tuorum temporum casibus ortã esse. Propter quod spiritus omnes usque adeò sunt remissi, ut ex hoc uẽtriculus, & principũ facultatũ omnes sedes maxime debilitari cõtigerit. Qua ex causa ipsis in particulis cruda & pituitosa materia sæpenumero plus iusto abundat. Quę ut eo in loco deinde putrescat, necesse est. Qua ex putrescentia, naturæ opificio, ne quidpiã aliud deterius cõsequatur, lumbrici teretes innascuntur. Cõstat ergo ex putrida materia ipsa, & ex lũbricis, exhalationes fieri: Quæ dum cerebrũ oppetunt, uertiginẽ pariũt: dum uerò cor, tremorẽ. Cuius ratio cũ scitu dignissima

ſima eſſe uideat̃,ſcire intereſt,tremorẽ, ſaltum, tremuloſq́ꝫ cordis motus,ſyncopen deniq́ꝫ, & huiuſmodi,pãniculi cor ambientis (Græci περικάρδιον appellant) in primis eſſe affectus: & omnes ab eadẽ fere cauſa, pro uario eius modo poſſe emanare. Ex occurſu ſiquidẽ rei nocẽtis ad cor(ea licet ſit uel uapor aliqs malus,uel materia in eius tunica,ſicut plurimũ accidit cõteſta) ut uiſcus illud,utpote primarũ partium omniũ (autore Ariſtotele)facilè princeps,maximè agitet̃ neceſſe eſt.In qua agitatione, plures qdẽ motionis gradus conſiderare oportet.Nã ſi ob debilẽ rei externæ ſenſationẽ cor ipſum refugiat,tantũq́ꝫ cõtrahat̃, ſimplicẽ tremorem creat:qui quãdoquidẽ à perq́ꝫ debili cauſa mouet̃,ſenſilis facultatis ſymptoma emergit. Cũ uerò in rei extraneæ pulſatione plurimũ reluctabit̃,ex qua pulſatione modò facultatis cordis actio, modò ſenſilis corporis, potior euadit,hac in cõtentione, tremulus cordis motus frequẽs,& ꝓlixior exoriet̃.Id nanq́ꝫ facultatis motiuæ erit ſymptoma.Quod certe uſu uenire ſolet, cùm facultatis eius munia, & ↄpationes imperfectè perficiunt̃,eam tũc agitari, & male habere oportebit.At in ſyncope fortior quidẽ cauſa habet̃: qppe quæ cordis uires uſq́ꝫ adeò tentat,ut nõ ſolùm rẽ nocentẽ ab eo expellere nõ poſſunt,uerum etiã,nec motũ quidẽ perfi-

cere, ex quo tremor, saltus, aut simile aliud qdpiã, quod cordis uigorẽ ex toto iam læsum nõ esse ostẽdat. In syncope siquidẽ uitalis facultas ex toto ferè succumbit, spiritusq; qui inibi frequẽtissimi sunt, maxime obruuntur. Vnde ea aduentante, nimirũ si membra omnia languescũt. Spiritus enim q toto corpori, ad animalis utilitatẽ distributi sunt, affecto corde, ad id tanquã ad arcẽ tutandã ocyssime retrahunt. Quo fit, ut præ multitudine maiori, q̃ sit pro usu particulæ, perspirare nõ possint, & facilimè digerant. Quapropter membra calore destituta frigescũt, & in munijs suis obeundis q̃ sępissime delabunt: ex quo ingeniũ tuũ, & memoria, aliquãdo fiunt hebetiora. Nempe cùm in sicco uigere debeãt, accedente frigore, quod ex aduentitio humido superabundante frequenter euenit, in eis apprehẽsa minime retinentur. Ex his præterea cordis etiã frigiditas, maior iusto cõcrescere solet. Qua ex causa mentẽ tuã, quæ in corde locat, nonnunquã solicitari uidemus, ubi præsertim publicũ aliquod munus uel lectionis, uel orationis summæ expectationis esse uidet. Hæc de tẽperamento tuo scripsi, ex quibus tremoris tui, & reliquorũ deniq; symptomatũ causę, primaria affectione à stomacho emanare facilè ostendi posse uidẽtur: Superest curationis methodus, cuius stomachus scopus esto.

esto. Nã quicquid aduersæ ualetudini tuæ obnoxiũ esse uidetũ, ab eo, uelut à perenni fonte, oriri cõtendo. Qui stomachus dũ male concoquit, iecur, uenæ, cæteræq; corporis particulæ malè habent: Nã uentriculi error, ab his haud rectè corrigi solet: Vnde excremẽta gigni necesse est, quibus, quod suprà disseruimus perq; facile accidere potest. Quãobrẽ, ne diutius ab hoc tam sæuo, & pestilenti malo crucieris, dilig ẽtissima curatione uti oportebit: Cuius ratio erit in primis nocentẽ materiã, à uẽtriculo demere. Deinde quod reliquũ fuerit excremẽtosi humoris uel in iecinore, uel in cerebro, aut in uenis, id primò medicamẽtis proprijs, & salubribus cõcoquere, & euacuare cõueniet. Praeterea partes ab extranea, & minime naturali qualitate immutatas corrigere. Cauere postremò pro uiribus, ne in priorẽ morbũ, ob imprudentiã recidere posſis. Quæ omnia, cùm parũ cõmodè absq; uictus ratione pfici posſint, idcirco ab ea exordiri cõueniet. Sed quoniã hominis tantùm liberi est, utpote qui ab omni ciuili negotio uacuus sit, exactã uictus rationẽ obseruare: ideo haud uituperatione dignus uidebor, si eorũ, quæ in uictu ipso scribẽda forent, nõnulla cõsultò prætermittã. Nã cùm in Reipub. Bononieñ. secretis, ex officij tui autoritate, & publicis etiã in lectionibus continuè

uersari debeas, difficile tibi putaui, omnibus diætæ legibus obligari. Qua de causa, ea tantum, quæ menti tuæ non adeò facilè repræsentari posse arbitratus sum, & minore etiam incommodo, obseruare poteris, scribam.

Aëris itaque matutini, & uespertini frigus pro uiribus euitato, maximeq; ubi grauius est, utpote spirãte Austro. Pestilens etenim est aër ipse, & auditus grauitatem, nec non distillationes, grauedinesq; & oculorum caligationes, & id genus parere solet. Sub sole item, & luna, non nisi uelato capite prodito. Ac si hyeme uel frigido, uel nebuloso cœlo intempestiuè prodire necesse fuerit, utpote bene manè, tum priusquàm domo exeas, ex iuniperi granis septem, meri sorbillum sumere conducit: Myrobalanum item, aut citri cortices saccaro condîtas. Animo præterea lætari, & curis mentem summopere mouentibus solutũ esse, ad ualetudinem refert: id nanq; temperamento tuo quàm maxime utile fuerit. Ad hæc scire oportet substantiam ciborum uniuersam in nutrimentum non abire, ac proinde uitiosum nonnihil ex superuacuo eius relinqui, quod proprie excrementum uocant. Ideo ne uentriculo, alteri' ue corporis parti increscat, studendum. Præstabit itaq; dum cruditas urgebit, abstinentia: quæ si tempestiua fuerit, nihil ea salubrius

lubrius esse uidetur: ac tum dilutã propterea aloën aliquãdo sumere. Et inter hæc nõ obscuræ erũt utilitatis catapotia, quæ habent myrrhæ electissimæ, croci oriẽtalis singulorum semidrachmã, aloës dilutæ drachmas duas, radicis ponticæ scrupulos quatuor, coralli rubri, zedoariæ, dictamni Cretensis, gentianæ singulorũ semidrachmã, camphoræ tantundem: ex rosæ succo cõficiunt. Hyeme ijs addito pulueris hieræ Galeni drachmã unam & semissem.

Vt alimenti redundantia, ita summa eius parsimonia officere solet: quare quod ex his medium iudicaueris, obseruato.

Lassitudines corporis, quãdo ex nimia exercitatione, seu labore contigerint, uel frictione, uel quiete curato. Hyeme exercitatio uehemens esto, & tecta: Ieiuno nanque paruæ pilæ ludus conducit, & umbratilis pugna, quam σκιομαχίαν Græcos uocare nõ ignoras: Apprehensis item summis manibus certamen facere: ἀκροχειρισμὸν Græci dicunt: Et funem aliquando manibus apprehensum scandere, nonnunquam & ligna scindere. Aestate uerò leni deambulatione, & sub diuo uti licet.

Venus omni tempore ieiuno, & rara sit: hyeme frequẽtior: Aestate uel nulla, uel quàm rarissima.

Studiorum hora conuenientior matutina.

A cibo

A' cibo per duas horas nec ſcribere, nec legere oportet. At ubi ad exercitationes huiuſmodi facultas non fuerit, eorum loco frictio, & multa quidem hyeme, & lenis æſtate, & claré etiam legere non parū præſtabit. Scire poſtremò intereſt, poſt nimios labores ſubitum otiū, & ex quiete longiori ſtatim ad uehementiores exercitationes accedere, peſtilens eſſe.

Somnus maximè eſt neceſſarius: ex eo nanque felix cibi concoctio, & laboris relaxatio; alimentorumq́ promptior per membra digeſtio fieri ſolet. Ad tuam ergo ualetudinem refert, à ſeptem ad octo uſque horas dormire, ſuper dextrum latus primò, mox ſiniſtrum. Verùm ubi cœna grauior, & æſtate (quoniam humectat) prolixior eſſe debet. Quòd ſi caſu aliquo nox inſomnis fuerit, interdiu à cibo per duas horas dormire expediet.

At quoniam animalium corporibus perpetuò mutari contingit, procuratione, quæ ex cibo & potione conſtat, opus eſt: quibus quod de ſubſtantia corporis decidit, reficitur. Ideo eorum rationem habere iam locus poſtulat. Mutatio autem quæ ætatis ratione accidit, incurabilis eſt: propterea quòd uniuſcuiuſq; animalis corpus à prima genitura, ad exitū uſq;, toto interueniente tempore ſicceſcit: quapropter in cibo dando, ſumma uti ſolertia oportet;

tet: quippe cibus ipse, qui facilè cōcoquit, utilis est: cōtrà pniciosus. Alimenti nanq; optima cōcoctio fieri solet, ubi tēpestiuè exhibet. Tempestiua illa nempe est cibi appositio, si eius cupiditas accedit: & postq; accesserit, eū sumere nequaquā differat. Simplex enim cibus utilissimus est: cōtrà uarius. Et hyeme solidioris materię, & qui calfaciat: æstate uerò imbecillioris, & refrigeret. Si ad saturitatē præterea nō assumat, ex qua stomachus, & pręcordia grauari, tendi'ue posint, laudabilis fuerit. Præter hæc tenuis cibus, quoniā aluū emollit, pręsumi debet: cōtrà ualentioris materiæ, & q ægrè cōcoquit, postponi. Neq; post laboriosam exercitationē statim esse debes: quiescere planè oportet, usq; dū ad temperiē deueneris. Cœna (quādoquidē somni tēpore cōcoctio melior pficit) largior sit prādio: cuius loco ientaculi quidpiā sumere magis expediet. In uniuersum tamē, ut omnis alimētorꝫ ratio cōprehendat, humectēt plurimū oportet, & modicè calfaciāt, idq; hyeme magis, q̄ æstate. Particulatim uerò differēdo, Panis ex optimo tritico, collibus nato, purissima farina cōfectus sit, fermentatus etiā, & furno coctus, & cui in cōfectura, anisorꝫ aliqd hyberno tēpore adiectū sit. Verùm panē illū inter eius genera naturæ tuę maximè pręstare cōcedimus, q passim à nostris buffetus appellatur:

latur: leuissimus etenim est, & concoctu quàm facilimus. Ex his colligi licet, azyma omnia, ut laganum, intrita, & id genus quæ ex farina, aqua uel melle, uel caseo, & ouis subacta sunt, insalubria esse.

De uino, cũ materia amplissima sit, & numerosior, ne te quæ assidua & uaria lectione tute ipse didicisti, docere uidear, ea tantũ scribam, q̃ ad tuam ualetudinẽ cõducere uidebunt. Vino itaq; uigente bruma, uti debes tenuiori, albo, uel rubello leni, ex maturis uuis expresso: cuius ætas annũ atq; alterũ nõ excedat. Id autem hac arte parato: Ex Sauniano tuo (locus is sanè ad uini generositatẽ aptissimus est) uuæ bene maturæ colligant: quibus tantũ aquæ, quantũ musti tertia pars putat, permiscebis: q̃ postq; triduo cõferbuerint, dolijs infusum uinum, in singulos dies sacco percolet, donec eius generositas ex toto hebescat. Vinũ id infirmũ erit, stomacho salubre, & ad cibi digestionem per membra utilissimũ, nec caput, nec neruos tentabit. Aestate uinũ austerũ sit, & lene, paucarũ uiriũ, & dilutius bibẽdũ. Diuersorũ saporũ uina Galenus maximè detestatus est: Varia ideo eius genera misceri (ut nostri temporis delicatiores facere cõsueuerũt) malo est. Dulce uinũ prima mẽsa, & ubi aluus adstricta fuerit, præsumi debet: Mollit nanq;, & ad cibi cupiditatẽ,

modicè

modicè ſumptũ, quandoq; facit, æſtatis pſertim tẽpore. Præſtabit etiã, ſi corpus humectatione, & pectus lenitiõe egere iudicaueris. Potus cibi mẽſuram excedere nõ debet: quoniã multiplex potus, & iuſto largior pernicioſiſſimus eſt, pſertim ſi cibũ in ſtomacho natare cogit.

Aqua ad potationes parum tibi conuenit. At ſi ea uti neceſſe fuerit, ſit pluuia, quã cæteris bonitate antecellere Hippocrates memoriæ prodidit. Poſt eam eſt fontana, & quæ puteis ſalubri ſolo defluxit: præſertim ſi cœlũ uideat, & ipſi exercitationis ratio crebro hauſtu contigerit. Verum Bononiæ, ubi ſalubrium aquarum copia non eſt, ex Rheno diu uaſis fictilibus conſeruata ſaluberrima erit.

Ex carnibus ſalubriores cẽſent ueruecis anniculi, uel bimi, uituli, agni, hœduli, & porcelli iunioris, rebus pſertim calidis cõditi. Bubulæ inſalubres. Omnis uenatio tẽporibus ſuis aliquãdo laudat: præſertim ſi cõditura aliqua cõdita fuerit, qua melancholicus ſuccus nõ uſq; adeò præualeat, ut tibi officere poſſit. Inter uolucres gallinaceorum omnis generis caro, & eorũ, quæ nemoribus, & agris degũt, pbat. Anſerũ uerò & aquaticarũ auiũ omniũ, & coturnicũ uſus, rariſsimus ſit. Quãdo præterea partui ppinquũ eſt animal, aut humidioribus locis ſuapte natura degere conſueuit, humore plurimo

plurimo abũdat. Ideo perpetuũ sit, ut ex eo cibus omnis assetur, aut calido aliquo condimẽto præparetur. Contrà, maiora natu, quoniam sicciores naturæ sunt, elixentur. Elixa nanque temperamento tuo magis probo, post assa. Frixa autẽ omnia, planè perniciosa sunt.

Saxatilis pisciculus, & qui alto mari degit, ad bonã ualetudinem utilis. Contrà qui absq; squammis, & minori natatione hebescit, utpote qui cœno, lacubus, & cloacis uersatur, perniciosus: olidus enim est, & excremẽtosus. Condiri præterea piscẽ & uino, aromatibus, & oleribus calidis oportet, aut ardentibus carbonibus assari. Aromatum usus æstate quàm minimus sit, omni nihilominus tempore parcissimus.

De leguminibus: Pisis tantũ dum recentia, aliquando uti poteris, & lentibus uel raro, cicere, uel rubro, uel albo hyberno tempore, cætera malo sunt.

Salsamentorum omne genus mali esse succi haud dubium est. Verùm ad stomachi cruditates, cibiq; cupiditatẽ, parcè admitti possunt, sicut homotaricha, quæ ex thynno salito, & fumo exiccato fiunt.

Ootaricha etiã, & alices Romæ passim uocatas, & id genus, præsertim si parce, & raro comedant. Caseo & lacte uel simpliciori, uel cibarijs pmixto nunq;, uel quàm rarissime ad uale-

tudinem

tudinem uti debes. Contrà, ſorbili, uel tremu-
lo ouo quàm ſæpiſsime. Cordi nanque, tuoq́;
temperamento maximè conducit. Alio uerò
modo paratum ouum, ut frixum, durum, & hu
iuſmodi, peſsimum eſt.

Olerum immenſa eſſet diſſertatio, ſi in præ-
ſentia ſingulorum haberetur ratio: quippe no-
ſtro tempore, nihil maiori deſiderio expetitur,
quàm oleribus in ipſis, quod anceps, quod fal-
ſum, quod deniq; difficile cognitu habetur, de-
prehendere: ſed in uniuerſum hæc ſit in oleri-
bus ratio: Syluestria omnia mali ſucci eſſe Ga-
lenus memoriæ prodidit: quæ non niſi uel re-
frigerandi, uel calefaciendi gratia in cibis quã-
doq; admitti poſſunt. Cichorio tamen, cicerbi-
ta aſpera, & aliquorum radicibus, utpote caro,
rapo, napo, quod buniada appellant, carduo &
id genus ſalubriter ueſci poteris. Radices autẽ
olerum acrimoniam in ſe habentium, ut allij,
cæpæ, porri, rhaphani agreſtis, paſtinacæ, ma-
lum ſuccum gignunt. Hortenſibus oleribus,
quorum facultatem, & notitiam optime calles,
ne commentarium hoc noſtrum prolixius ſit,
arbitratu tuo utare.

Fructus cùm omnes mali ſucci eſſe grauiſ-
ſimi ſcriptores aſſeruerint, noſtri temporis deli
catioribus haud ſatisfactũ eſſe exiſtimarem, ſi
in præſentia eos perpetuò cibis tuis circunci-

derem. Nam cùm æstate languentium corporum siccitati, & calori succurrendum sit, quo alio magis grato remedio ac fructuũ subueniẽdum? Cum moderatione ergo, ne de auxilio fiant uenenum, eo præsertim tempore, cùm euidens nos necessitas cogit, eis utemur: Quippe præcoces (quos ὡραίους Græci nominant) propterea quòd eorum potior pars sub Caniculæ exortu, quam ὥραν appellãt, colliguntur, cibis præsumi debent. Serotinos uerò (quorum maturitas ad autumnũ differtur) secunda in mensa, & ut plurimum sub prunis coctos, aut sapa, uel saccaro conditos edemus.

De potione post fructus adhuc nõ minima lis est. Nonnulli frigidam laudãt, alij meracum uinũ tutissimè exhibent. In qua discordia, cùm me alibi sententiam meam Aristotelis autoritate statuisse sciam, in præsentia minime uerebor te ad merum uinum post fructus hortari. Nam cùm stomacho imbecilli aqua minime conducere soleat, causa nõ est, cur eo tibi nunc interdicere debeam: quare uinum generosum post fructus potato, modicè tamẽ & tẽperatè.

Ita se habet tui uictus ratio. Ast nũc de medicamentis differere locus admonet: Partem hanc Græci φαρμακευτικὴν appellant: Vellem tamen mi Amasæe te hac in parte animosiorem esse: In qua, cur tam frigide uersari debeas, planè

nè ignoro. Medicamentorum ſanè campus (ut optimè calles) latiſsimus eſt, in quo & lenia, & quæ naturæ humanæ familiariſsima ſunt, uel aduerſus graues, & peſtilentes morbos feliciter pugnare perſpiciuntur. Cauſa nō eſt, quòd eis tam pertinaciter ſtomachari debeas: nec diutius hac ipſa in ſententia perſiſtere, in qua, ſi te adhuc pertinacem uidero, iure quidem inutilem tibi libertatē eſſe contendam. Quare ne te amplius peruicax conſilium capiat, Calanij tui conſilio utitor, quo planè nihil ualetudini tuæ ſalubrius eſſe iudicabis. Atqui ne per extentum funem, ut dicunt, currere uidearis, ea tantum medicamēta, quæ paratu facilia, & guſtatu tuo minime iniucunda erunt, proponentur: quibus pro arbitrio, uel ſingulo quoq; die, tutiſsimè uti poteris. Vere igitur primo aduētante, nempe Aprili menſe, præmiſſo clyſtere aluus ex uncia & ſemiſſe medullę caſsię, in qua glycyrhiza adiecta ſit, ducatur. Poſtera die manè ſanguinis uncias quinque ex cubiti ſiniſtri uena, quam baſilicam uocant, mittito. Id nanq; Galenus præſtantiſsimum eſſe remedium ſcriptis memoriæ prodidit. Quo ſolo præſidio pleroſq; ab hoc malo liberatos fuiſſe teſtatur: prętererea & alios etiam præſeruatos, ſi priuſquàm morbus aduentaret, hac ſanguinis detractione uſi fuerint. Vnde in primis, ſicut prædixi,

ſanguinem mittere ſaluberrimum fuerit. Sequenti uerò die ſyrupum, quem de pōnis compoſitum uocant, ex ſenæ decocto, medici tui aſſidentis arbitratu ſumito. Ex quo cùm excrementa concocta eſſe cognouerit, ea medicamēto aluum ciente purgabit. Habet enim inannæ calabræ uncias duas, radicis ponticæ ſeſquidrachmam, ſyrupi de roſis perſicis, quem mucharū appellant, uncias duas & ſemiſſem. Hæc cum florum & fructuū cordialium decocto diluuntur: Soluta aluo, cōdîtum, quod Galenus ad cordis tremorē inter ſecreta annumerauit, conficito. Id etiam ad crudas ſtomachi concoctiones, & cibi cupiditatem præſtantiſsimum inuenies. Quo feliciter manè ſecuturis diebus uti poteris. Conſtant ex bugloſsi hortenſis, & ſylueſtris, & apiaſtri, & mentæ ſiccæ, & corticis, & foliorum citri, & rubrę roſæ ſingulorum faſciculo, ocymi folij ſtrictioris drachmis tribus, & cydoniorum, & trium generum malorum, nempe Apiani, paradiſi, & roſei ſucci, ſingulorum uncijs duabus, ſerici crudi minutiſsime inciſi, nucis myriſticæ, zedoariæ, doronici, been utriuſq;, & trium ſandalorum, xyloaloēs optimi, berberis ſingulorū drachmis duabus, & croci ſcrupulo. Arida ex meraci uini, & cœleſtis aquæ paribus portionibus, pro eorū modo ad tertias coquantur, colenturq; cum forti
expreſ

expreſsioni. Addito deinde malorũ ſuccum, & tantundẽ ſucci mali punici medij ſaporis: iterũ tẽporis momento ferueſacta, ex ſaccaro ad ſyrupi noſtri formã coquantur, & cum gallia moſchata aromatizẽtur, manè ieiunus cochlearia duo ſorbillo ſumito. Cõducit etiã rubens roſa, nigræ uiolæ, labruſcæ flores, apiaſtrum, xyloaloës, cinnamomum, caryophylli, crocus, corallus, moſchus, ambra, & id genus medicamentorum ſtomachicorum. Hæc trita in rubra ſyndone, ad cordis & ſtomachi utilitatem commiſcentur.

Cataplaſma ad idem uigẽte pręſertim morbo utile, theriacæ uncias duas, unguenti de nenuphare citrino (nymphęam Latini appellant) tantundem, ex duabus partibus ſucci limonis, & aceti una, & croci ſemidrachma conficito.

Atqui ſuperuenientibus æſtatis caloribus, ne corpus nimis ſicceſcat, præſtabit ex aqua dulci frequens balneum, à quo totum poſtea corpus amygdalino recenti ungendum: Et uictus etiam ratione uti, quæ humectet, & cruditates cauere, quæ uel fructuum eſitatione, uel copioſiori fortè potu accidere ſolent: quibus cruditatibus catapotia prædicta uel maxime aduerſari ſcripſimus.

Reſtituit præter hæc ſtomachum, dum urgent calores, ualentiſsima cõpoſitio, manè ante

cibum per tres horas sumpta, ex acidi mali punici succo, cum pari modo succi, qui ex dulci malo Punico est, si ex utroq; unciæ quatuor sumantur: adiectis insuper succi intybi unciis tribus, & mentæ unciis duabus, cum pari modo, quãtum ex his omnibus est, aquæ cœlestis, & uini austeri singulorũ paribus portionibus. Succi primò attenuati esse debent, mox omnibus perquàm bene commixtis more iuleb nostri temporis, ex saccaro albo condiantur, aromatizetur deinde cum gallia moscata.

Cogunt præterea nos ardentissimi æstatis calores largiori frequẽtissime potu, quàm pro usu partiũ nostri corporis deceat, uti, & in fructuum etiam diuersitate, & copia uersari: ex quibus excrementosi succi, qui iis facilimè innascuntur, maximè redundant. Qui succi adueniente autumno, cùm putrescere soleãt, & morbos pro humoris, & tempestatis natura etiam parere, illos prudentissimè ualetudini consulere arbitratus sum, qui eo tempore alui purgationes moliuntur. Vnde cùm te instãte Autumno, in quo bilis atra præcipuè abundat, cordis tremor nonnunquam exercet, operæ pretium te facturum existimaui, si ipsa in tempestate temperata, utpote Septembri mense purgationes medici tui arbitratu, & consilio procurabis. Quæ ubi perfeceris, ad cõdîtum, quod

ſuprà inter Galeni ſecreta repoſitum fuiſſe o-
ſtendi, accedendum eſſe contendo; quo condi-
to duodeuiginti dies continuatos uti oportet.
Ex hoc planè ſi quis in corde uel tremor, uel
motus, aut ſimile aliud quippiam uerſaretur,
exterminari poſſe confido. Per id inſuper tem
pus, ſi ſtomachus imbecillitate quapiam agita-
retur, eum cerato, quod ex chia maſtiche confi
citur, foueto. Cruditates Hyemis, & Autumni
mirandum in modum diſcutit, ſcyllini aceti co
chlearium ſorbillo ſumptũ, à quo poſtea ieiu-
nium, & plurima deambulatio præſtat. Hieræ
item ſimplicis Galeni ſeſquidrachma, ex ſemũ-
cia medullæ caſsiæ recens extractæ manè de-
uorata; quæ aduerſus lumbricos, & capitis gra
uedinem, necnon ad ſtomachũ confirmandum,
præſentiſsimo auxilio ſuffragatur.

At ſi tibi ex horum diuturno uſu ſtomacha
ri cõtigerit, quod quidem ob publicorum ne-
gotiorum tuorum molitionẽ facilè uſu ueni-
re poſſet, cordis tremori medendo humeri ſini
ſtri uſtio ualẽtiſsima cenſetur; qua & nos, ſicut
& pleriq; alij præſtantiſsimi uiri frequentiſsi-
mè & feliciter uſi ſumus. Ex ipſa nanq; uſtio-
ne, nocens plerunq; materia à corde, ueluti ex
emiſſario quodam diuerti ſolet. Quamobrem,
ut ea primo quoque tempore utare, te iterum,
atq; iterum hortor. Nam te ex his ſecũda frui

posse ualetudine haud mediocriter confido. Verumenimuero, ne ob imprudentiam, in has tuas affectiones amplius recidere possis, Vere & Autumno in primis anniuersariȩ illȩ purgationes, medici alicuius præstantis consilio laudantur. Temporibus deinde intermedijs pro tempestatis ratione, catapotia modò, & modò conditum, nonnunquã uerò inedia, semel præsertim in hebdomade, & ea deniq;, quȩ suprà in uictus ratione, fusissime scripsi, commendatione præcipua proponuntur.

Sed cùm ad cerebri, & cordis spiritus, & uires restituendas, odores maximè commendantur, omni tempore præstantissimum fuerit auxiliũ, pilam ex rebus iucundissimi odoris confectam olfacere: quale certè esset, quod in se cõtinet rubentem rosam, nigras uiolas, sandalos omnes, nymphæam, citri corium, macerem, ladanum, styracem, & quod nostri benzuinũ appellant, caryophyllos, moschum, & id genus: coguntur nanq; hæc, & tragacanthy glutino, & resina terebintina.

Ex quibus etiam, ad eandem planè utilitatẽ præstarẽt cyphi, & thymiamata, si ex aqua uel rosarum, uel medici mali floribus distillata, sicut unguentarij nostri consueuerunt, conficerentur. Vale felix mi Amasæe. Bononiæ, Calend. Septemb. M. D. XXXVII.

PROSPER CALANIVS CONRADO CRASSO S. D. P.


ELLEM in præſentia ſuauiſsime Conrade, me in alio potius ſcribēdi genere, quàm in tuarum affectionum inquiſitione eſſe occupatum. Nam literæ tuæ, quæ nuper te in tam uarios, & difficiles morbos uerſari nunciarunt, tantas mihi moleſtias attulerunt, ut ni intolerabiles Caniculæ ardores nunc inſtarent, & ætas mea iamiam (ut ſcis) ingraueſceret, (uide quæſo quid meus erga te amor nunc facit) officij præſtandi gratia, ad te ocyus aduolarem. Sed quoniam id abſque uitæ meæ periculo facere non poſſum, quod quidem tibi minimè cordi eſſe perſuaſum habeo, operæpretium exiſtimaui, quæ ad ualetudinem tuam recuperandam iampridem idonea, & facilè parabilia excogitaui, ad te ſcribere. Quæ quoties perlegeris (frequentiſsime arbitror, id utilitatis tuæ præcipuè gratia facies) Calanium tuum tecum loquentem, coram te

 eſſe,

esse, in officio tuo & uersari, & assistere, facilè iudicabunt. Ea igitur ipsa qualiacunque erunt, cùm meliora nunc præstare non possim, benigniter, atque humanissimè accipies. Nam utcunque à te iudicabuntur, ingenuum tamen, atque syncerissimum meum erga te animum clarissimè testatum facere poterunt. Vale.

PROSPERI

CALANII SARZANENSIS

commentarius de Melancholia flatuosa, quam mirachialem uocant, cum pluribus symptomatibus complica= tis.



VLTAE sunt affectiones, quę te iam quadragenariũ fre quenter in anno, haudq́ue me= diocriter tentant. De quibus licet proximis superioribus diebus perquàm breuiter ad me scripseris, quantum tamen ex earum litera= rum coniectura elicere potui, inter primas est quædam stomachi imbecillitas, quæ te quoti= die ferè manifestissimè torquet: ex hac nanque cibus & potio plerunque male confici solet. Ast fœdius, sed nequaquam molestius, te illud etiam cutis dehonestamentum affligit: ex quo plures corporis particulæ sæpenumero cum pruritu, ardore, subdolentia, & duritate exulce rantur: quæ ulcera, dum sanescunt, furfuracea aliqua corpuscula, squammarũ instar, & præ= sertim

ſertim in facie, emittunt. Sed hoc ne ſatis quidem eſt; quandoquidẽ his accedit hæmorrhoidum cæcarum tormentum, quæ uere, æſtate, autumno, & hyeme magno cum dolore tumeſcunt, & diſtillationis etiam moleſtia, qua, dum anni tempeſtas humens eſt, præcipuè affici ſoles. At in illo oculorum tumore, cum rubente faciei colore, qui à cibo frequentiſsimè auctior apparet, nec conniuere debemus.

De quibus omnibus, cum à me longior fieri debeat diſputatio, locus poſtulat, ut de naturali tuo temperamẽto in primis aliqua perſtringam; quod planè bilioſum eſſe, neminem latêre oportet. Corporis ſiquidem gracilitas, & proceritas, colos citreus ſub obſcuritate quadam admixtus, & pilorum nigrities, eam præ ſe ferre arbitrãtur. At quoniam uenarum adeſt aliqua durities, & amplitudo, iecur plus iuſto calidum eſſe manifeſtat; à quo cùm temperamenti diſpoſitio in primis perquiri ſoleat, quid cauſæ ſit, cur bilis ipſa ſubaſſata, ipſa in temperatura abundare non debeat, planè ignoro. Argumento nanq; adſunt, ingenium, prudentia, mores, uitæ integritas, modeſtia deniq;, & literarum ſciẽtia, quibus perpulchrè abundas: quæ omnia Ariſtoteles ex bile ipſa, præſertim cùm ſanguinis portioni permiſceatur, emanare, literis mandauit. Nam eius cauſa ingenium perſpicax,

ſpicax,& acre (ſi modus adſit) redditur. Cuius ſedes humore ipſo puriores, & in officijs præſtandis promptiores efficiuntur. Verumenimuero ſi bilis ipſa plus iuſto & aſſetur,& redundauerit, uel alij fortè humori fuerit admixta, uitia pro eius modo, & uarietate corporibus pariet. Nam ſi immodicè aſſari contigerit, eos mania,furor,delirium,& id genus exercebit.

Frigido autem humori commixta, ſtolidos faciet, & ignauos: ſed permulta & calida, ad mulierum amicitias, & ad ea quæ ſunt ingenij, & cupiditatis, reddet propenſiores. Quorum omnium rationem ſi in præſentia perſequi uoluerimus, à propoſito noſtro longius aberraremus. Quod cum à nobis minime ſit tentādum, unde digreſsi ſumus,reuertemur.

Bilem igitur modicè uſtam,uel ſanguini,uel pituitæ admixtam, omnium tuarum affectionum cauſam eſſe perſuaſum habeo: cuius ſedem potiſsimè etiam in præcordijs uerſari con tenderem. Nam cum potiora eius accidentia circa uentriculum in primis oſtendantur, iure quidem te in manifeſtam ſtomachi imbecillitatem,& eam etiam melancholiæ ſpeciem, quam plerique medicorum hypochondriacam,& flatuoſam appellant, recentiores uerò mirachialem,iam recens incidiſſe teſtarer. Hęc ſiquidem frequētiſsime accidit, ubi uentriculus ipſe male ha

le habet, & ſuccus melancholicus quapiam de cauſa ad hypochondria decumbit. Hæc enim Græcis partes ſunt illæ uentris inferioris, quæ coſtas imas, & umbilicum interiacent. A quibus aliquando uapor aliquis malus, aliquando uerò pars aliqua humoris aſcendit ad cerebrum, cuius cauſa capitis particulæ obumbratæ, meticuloſum nonnunquam, & citra occaſionem triſtem, & ab inſomnijs turbulẽtis perturbatum reddunt. Quæ omnia quanquàm tribus melancholiæ ſpeciebus communia ſigna eſſe uideantur: attamen flatus copia, ructus, tarda cibi cupiditas, præcordiorum crepitus, quæ te haud mediocriter exercẽt, propria ſunt imbecillitatis & cruditatis ſtomachi, & proinde mirachialis affectus indicia, quę mutua quadam inter ſe reciprocatione aſsiduè etiam confouentur, cuius cauſa uapores continuè ad ſuperiora attolluntur, à quibus rubens ille faciei color innaſcitur: Auctior tamen à cibo ob maiorem eorum copiam apparet: concocto cibo rubor ipſe albore quodam admixto palleſcit. Verùm ſomni tempore, cùm uapores ipſi minime poſsint ex toto perſpirare, concomitante diſtillatione, quæ noctu etiam ob ſtomachi cruditatem magis uiget, oculi manè turgidiores ex œdemate conſpiciuntur. Tolluntur autem hæc ferè omnia, utpote leuia, uel ſaltem leuantur fri

tur fri

tur frictione, à fronte ad occipitium sæpius facta: Quoniam materiæ ipsæ ex ea ad contrariam partem perquàm facilè retrahuntur. At cutis illam fœditatē, à qua non parum (ut scribis) molestaris, quonam nomine eam appellare debeam planè ignoro. Haud parum nanque interest scire, num infectio illa sit scabies, uel impetigo, à qua plerunque & psora, & lepra fieri solet. Omnes hi morbi cuticulæ sunt affectus: qui quanquàm oculis pateant, difficile tamen est uel ab oculato, & exercitato medico exquisitam inter eos differentiam determinare. Quapropter cū de his absens certi quippiam statuere non possum, quod planè ad curationem maxime esset necessarium, malui aliqua scribendo me censuræ potius alicuius periculo subijcere, quàm abs te silendo, uel negligentiæ, uel socordiæ quopiam crimine iure posse accusari: Quamobrem quantum coniectura assequi potui, arbitror cutis illas tuas eruptiones, psoræ potius nomine, uel lepræ, quàm impetiginis esse appellandas: Sed caue putes lepram hanc tuam illam esse, quam recentiores medici perperam interpretantur. Hæc siquidem totius corporis uitium est, & incurabilis, ubi cōfirmatur, & à Græcis elephantiasis nuncupatur: Illa uerò cutis tantum, & facilè curationibus patet. Psora igitur, uel lepra, me iudice, tuæ

ce, tuæ sunt cutis offendicula: quas si impetigines etiam uolueris appellare, fortasse non errares. Affines enim sunt, sicut dixi, hæ omnes, & ab eodem ferè humore procedunt. Impetigo nanque quæ Græcis λειχὴν dicitur, & à nostris uolatica, cutis est leuis infectio, & pruritu, & aspredine tantum offendit. At psora & lepra, quæ grauius affligunt, inter se parum distant: ambo enim cutis aspredinem, & pruritum cum corporis colliquatione producunt. Differunt autem: quandoquidem lepra euidentioribus squammulis cutem altius, & per circulum depascit: Psora uerò superficie tenus mitius affligit, cui figurarum adest uarietas, & excrementa quæ parit, furfuracea magis sunt, quàm squammosa. Hæc nanque accidunt, quoties bilis ipsa uel pituitæ subtiliori, uel sanguini permisceatur: qui sanguis ita affectus membris insuauior redditur, & parum alit. Quorcirca exulcerationes exoriuntur, quæ ob humoris acrimoniam maximè pruriunt, dolorem afferunt, serpunt, rubent, & ad cicatricem non facilè perducūtur. Alteratrix enim facultas deprauata, quam à nutritiua minime separauit Galenus, quicquid pro alimēto naturæ tribuitur, haud rectè conficere potest. Vnde scabies, aliæq; id genus infectiones, quæ facultatis ipsius sunt symptomata, facilè consequuntur.

Verum

Verumenimuero, cùm hæc partis ſimilaris, nempe cutis, ſint uitia, iure in ſimplicium mor borum ordine adſcribuntur. Quod quidem ui tio minime eſt dandum. Nam eandem ſæpenu- mero rem, morbũ, & ſymptoma pro uaria eius ratione eſſe uidemus. Præterea & ex eadẽ ma= teria, diuerſos etiam morbos partos eſſe: quod in te facile eſt intueri. Nam ſicut ex ſanguine ſubtiliori melãcholico tuæ cutis uitia exoriun tur, ita & mariſcæ ex craſsiori: quæ cum humo ris ipſius maxime redundantis ſint receptacu= la, in ſingulis quatuor anni temporibus, uere præſertim & autumno, ut quod eſt in ſangui= ne uitioſum excernatur, intumeſcunt: Cuius ratio eſt ſol, qui eo tempore quatuor cœli car= dines, Arietem, Librã, Cancrũ, & Capricornũ percurrit: in quibus, ut autor eſt Hippocrates, corporis noſtri ſucci uehementius agitantur. Vnde ab eodẽ autore ægrotos, pharmaca aluũ laborioſe deĳciẽtia, ſanguinis miſsionem, uſtio nesq́3, & id genus remediorum corpora maxi= me mouentium, cauere literis mandatum. Ex his ergo quales fuerint tuæ affectiones, & qua ex cauſa innaſcuntur, per te facilè cõiectare po teris, à quibus ne amplius afficiaris, ut quàm ocyſsimè tollantur, uel quantum fieri poterit leuentur, neceſſe eſt. Id autem à nobis hac me= thodo perbelle efficietur, ſi uentriculi imbecil=

litas, si excedens iecoris calor ad naturalem statum restituatur: quod quidem haud rectè perficere possumus, nisi in primis, quod in functionibus obeundis particulas maximè grauat, accuratissimè demamus. Qua ex causa ad pristinam integritatem corpus perquàm facilè reducetur. Quod postquàm feliciter consecuti fuerimus, ut summa illa uentriculi imbecillitas, & excedẽs iecoris calor, amoueantur summo studio, summaq; curatione nitendum. Postremò ad ea, quæ ulcuscula sanare possunt, ueniemus. Præterea, ne in prius uitium per imprudentiã recidere possis, procurare oportebit. Ad hoc enim quæ προφυλακτική dicitur curatio, quæ ex uictus in primis ratione perfici solet, nobis summopere conducet. Sed ab his, quæ, quod in corpore excremẽtosum, ciere possũt, auspicabimur. Inter quæ sanguinis missio cõmunissima atq; opportunissima esse cẽsetur. Ineũte igitur autũno, utpote circiter finẽ Septẽbris (sole tũc primo Libræ decimũ prætereũte, in quo suprà Hippocratis autoritate corpora maxime agitari proditũ est) ex cubiti dextri uena, quã iecorariam, uel ex ea quam nigram, & communem appellant, si magis apparebit, sanguinis uncias tres mittito: Qui si ater & crassus fuerit, postri die illius diei modicum detrahito, deinde tertio die itidem modicũ, dummodo ad summum

sex

ſex ipſius unciæ non excedant: Id autem manè ubi aluus primo aliquid reddiderit, efficiendũ. Sed ne bilis ob ſanguinis miſsionem efferuere poſsit, ſyrupi de pomis, quem ſimplicem appellant, ſeſquiunciam, cum aquę boraginis tribus uncijs, prius ac ſcalpello uena feriatur, ſumito. Corpus præterea poſtquàm quieti aliquantiſper tradideris, cibum ſimpliciorem, & elixum accipito. Sed ſi quis me de hac tripartita ſanguinis miſsione rogare uellet, planè reſponderem melancholicum ſanguinẽ pedetentim extrahendum eſſe. Id autẽ poſtulat ſanguinis natura craſsior. Ad hæc & Stratonicus unus ex Galeni præceptoribus, in melancholicorum morborum curationibus faciebat, cuius nunc imitationem colimus. Peractis igitur his, quos dixi diebus, hanc potionẽ habeto. Quæ habet: Filiculæ, epithymi, radicis utriuſque bugloſsi hortenſis ſcilicet, & ſylueſtris (nam hortẽſe bugloſſum, boraginem appellamus) & florum utriuſq; bugloſsi, herbæ cincinalis ſingulorum unciam, foliorum ſenæ, trixaginis, iunci rotundi floris, atri ueratri ſingulorum tantundem, eupatorij drachmas ſex, fumariæ ſeſquiunciã, ſucci malorum dulcium uncias decem. hæc in aqua cœleſti, prout decet, ferueant ad tertias, ex torculari inde exprimuntur, ut eorum medicamentorum uis ex toto in aqua permaneat,

mox quod expressum fuerit cum succo malorum ex saccaro quàm albissimo medicamentũ ad usum conficiatur. In quo drachmę tres reubarbari nostri linteo rariori deligatæ momẽto etiam decoquantur, spathaq; lignea aliquando exprimantur, id reubarbarum, in uase ubi medicamentum asseruari debet, suspensum diu postea habendum. Binæ huius syrupi unciæ ex quatuor senæ decocti potionem integram efficiunt, quam bene manè calfactam, per alterum & uigesimũ diem (impar enim numerus religionem certè in se continet) assumito. Verũ si aluus ex hac plus iusto solueretur, ab hac interdum uno uel altero die quiescere pro remedio fuerit.

Caue putes, te, uel puerulum ab hac, aliqua ex parte lædi posse: Bilis siquidem atra eius facultate felicissimè uacuatur: sanguinis itẽ uitia corriguntur. Insuper hæc ipsa etiam lætitiã parit, & animalẽ facultatẽ, quæ est in cerebro, uegetiorẽ reddit, & cutis deniq; fœditatẽ omnẽ, quantũuis curatu difficilem, perq; facilè tollit.

Expurgata aluo corpus ex cibis boni succi est alendum, inter quos magno dignam præconio ptissanam hordeaceam laudo, quam sic parato: Hordeũ album perfectæ maturitatis, integrum, non fractum, & ab omni prorsus uitioso odore, & sapore alienum, quodq; cùm maceratur,

tur, facilè intumeſcat, diluito: quod deinde per diem naturalẽ in aqua macerato: id cùm manu delibraueris, uitreo uaſe ex aqua fluuiali, donec crepet, coquito: poſtea contundito, & percolato, & cum ęius cremore in potionis formã redigito: cui etiam addito album ſaccarũ, quantum ſatis ſit, cinamomi mometum, & peponis ſeminum ſemunciam. Hac potione calfacta per uiginti continuos dies diluculo utitor. Ex qua iecoris excedens calor, uentriculi imbecillitas, ſanguinis uitia, omne quod erit in corpore prętер naturam, ad naturalem ſtatum cõmodè reſtituetur. Eo tempore quo ptiſſanam aſſumes, ſi qua cuticulæ uitiola adfuerint, ea ex unguento odorifero de pomis, quod pomatã appellãt, delinito: uel oleum uetus, quod ex aqua fumariæ herbæ ſæpius ſit dilutum, ſumito, & illinito: Butyrum præterea recens, eo modo paratum, mirandum in modum conducit, et roſaceum unguentum: Ex his ulcerum calli, duritiеs, moleſtusq́; ille pruritus opportunè molliuntur. Verùm ſi hæc leuiora eſſent, nec ob id ulceribus ſanitas accederet, lithargyri uncias ſex in acerrimi aceti libra ad tertias coquito, & per filtrum uulgò nuncupatum colato: deinde aluminis ſciſsilis uncias tres in aquæ fontanæ libra, ut ſuprà decoquito, & colato. Aquæ etiã quæ percolatæ ſunt, ad illinitiones miſceantur.

Id etiã ad psoras, & lepras magni est nominis, quod habet satiui rumicis, & oxylapathi, quod nostri acetoselam uocant, singulorum manipulos duos, in aceto discoquantur, teranturq; in mortario, acetumq; id, in quo herbæ illæ coctę sunt, in his paulatim instilletur, deinde addito nitri unciam, sulphuris ignem non experti semunciam, turis tantundem, & linimentum ad mellis crassitudinem conficito, quo in balneo aquæ dulcis pro strigmento utitor.

De mariscis, quibus te quater in anno sollicitari scribis, quanquàm eas cæcas, id est, quæ nihil emittunt, esse sciam, à te tamẽ, num extra locum proprium, an ad podicis interna intumescant, audire uellem. Dolent enim maxime, ut opinor, utroq; modo, sed magis ubi non apparent. Quocirca in primis quæ dolorẽ leuãt, deinde quę tumorẽ egregie discutere possunt, adscribam. Præter igitur communia remedia, quæ ex oleo de chrysomalis, & uiolaceo, uel cõmuni, in quo porri syluestris radices ferbuerint, & populeone unguento, & id genus fieri consueuerunt, dolorem magnopere leuat oleũ de semine lini, ex seuo hircino, in modum linimenti commixtum & illitum, succus item cæpæ albæ illitus, hæmorrhoides pellit: Sedatur nanq; earum tormentum cæparum acrimonia: quæ si pro balano etiam subijciantur, conducunt.

cunt. Suffitus præterea ad eas utilis eſt, qui ex ſaluia, roremarino, chamæmelo flore ſingulorum manipulo, & fœni floribus quantum ex omnibus eſt, in aqua decoctis, ob earum enim rerum fumum uirus ab his rebus copioſe emanat. Verùm à ſuffitu hæmorrhoides ipſas cerato illinere oportet, quod habet olei roſacei, de ſalicibus, de papauere, chamęmelini, pinguedinis gallinæ, ceruſſæ, plumbi uſti, tutiæ præparatæ ſingulorum ſemunciã, ex cera alba quantum ſatis ſit, conficito, & pro uſu conſeruato. Extenuat item tumentes mariſcas, ſi prædicta non conferunt, emplaſtrum ex gallis contritis cum oleo communi confectum: quod certe eis etiam plus iuſto fluentibus admotum (tanta enim eſt eius efficacia) tanquam miraculum admirareris. Valentiſsimum præterea ad hoc etiã cenſetur emplaſtrum ex cæpa, ſub cineres calidos decocta, cum tantundem ſeui hircini confectum, præſertim ſi frequens adſit. At quoniã cùm tumēt hęmorrhoides, doloris leuandi gratia, eis hirudines nõnunquam admouere ſoles, uereor, quanquam id ab Hippocrate in Apophoriſmis maximè laudetur, ne ex harum frequentiſsimo uſu, plus iuſto ſicceſcat corpus, & melancholicæ illæ tuæ affectiones, nimis augeantur. Frequens enim ſanguinis miſsio, corpus extenuat, atram bilē parit, & uiſum debilitat.

Quapropter non nisi maxima urgente necessitate, ad hoc auxilium accedere debes. Plura de his scriberem, sed quoniam plures Romæ medicos excellentes tibi esse necessarios scio, sat quidem habui rerum tantùm capita recensere. Aliter enim eos me uelle docere (quod absit) facilè uiderer. Ex ijs nanque qua methodo, in his tuis malis, si Romæ essem, me tecum agere oporteret, aperte cognoscent.

Superest igitur prophylactices modus, quē ex uictus ratione constare prædiximus. Eam autem sex res, quas euidētes, & non naturales appellant, efficere solēt: Ambientis igitur excedentes qualitates cauere oportet: quamobrē nec per æstum, nec per brumam, nisi maxima urgente necessitate est eundum, sed summa æstate frigidiori, hyeme tepidiori loco quiescendum. Calor enim immodicus sanguinis feruorem parit, frigus uerò distillationes, & pleraque alia incommoda ab his emanantia: qua de causa matutinum & uespertinum frigus maxime euitandum.

Ast in cibo & potione id in primis, quod pro consuetudine fuerit, est obseruandū: nempe bis in die comedere, & elixa magis, quàm assata: Varium item cibum deuitare, & nonnunquam semel in die cibum sumere. Appetentia nanque ob id, quod in tuenda ualetudine præci-

puum

puum eſt, maximè prouocatur. Nec donec cibi cupiditas expleatur edere, ſalubre eſt.

Laudabiliores carnes ſunt hœdinæ, uitulinæ, ueruecis bimi, pulli gallinacei, capi, & auiũ deniq; omnium nemoribus degẽtium. Bubulæ uerò & ferarum animalium carnes, tutæ non ſunt: quibus ſi aliquando ueſci uolueris, iuniora, quæ elixa potius ſint, quàm aſſa, eligantur.

De oleribus hæc ſit ratio: Syluestria omnia ſuccũ melancholicũ gignunt: quocirca hortẽſia erunt præſtãtiora: Bugloſſum tamen hortenſe, quod noſtri Boraginẽ uocãt, in primis tibi ſalubre cenſetur, & lactuca, & quæ endiuia nuncupatur, Cichoriũ item, & Sium, quẽ Creſcionem dicunt, Petroſelinon, Carduus & eius pinea, & radix, quæ frigore cãdeſcit bona, præſertim ex iure carnis, & oleo cocta. In hoc etiã cenſu aſcribuntur Atriplex, & quod Spinachiũ appellãt, & Beta nonnunq;, & id genus pleraq; alia, quæ quãdoquidẽ per te optime deligere potes, conſulto prætereo. Sat quidẽ nobis fuerit rerũ capita tantum recenſere. De reliquis autem (ſi id tibi cordi fuerit) cum doctiſsimo Balamio noſtro, cui maior planè prouincia poſſet demandari, conſilium commodè capere poteris.

De uinis longiorẽ diſputationem prohibet uita tua cõtinens & parca, quæ plerũq; ſecundarijs cõtenta eſſe ſolet. Verùm affectibus tuis

utile censetur albũ uinũ, lene, & austerũ, paucarum uirium, quale est Romanũ, Terracinẽse, quod Setinum esse credimus, & quod Romæ Grignanũ dicitur, & id genus. Vina autẽ colore rubentia, quibus ager Romanus abundat, laudabilia etiam erunt: In quorum ordine sunt Albana, Sutrina, & quæ Capralyca producit, & pleraque alia in Sabinis, agro Tyburtino, & Campania nascentia.

Sed quoniã in curanda ualetudine conducit exercitatio, ideo de ea aliqua etiã differã. Nam queadmodũ post longã exercitationẽ subitum ocium: ita post desidiã, & longã quietẽ, fortis, & subita exercitatio nocet. Natura enim extremas istas, & subitas mutationes, absq; uitæ periculo diu ferre nõ potest. Quapropter dum anni tẽpestas frigida fuerit, fortis exercitatio, & matutina cõducit. Ea autem est pila ludere, umbratilis pugna, funẽ manibus scandere, cursus, ligna scindere, & id genus. Aestate uerò matutina deambulatio erit utilior. A' prandio prçterea per duas horas ad minus semper quiescendũ. Quo tẽpore nec legere quidẽ, nec scribere cõuenit. Musica tamẽ oblectamẽta decẽt, & comis, & facetus amicus, cũ quo de his quæ animum maximè relaxãt, ratiocinari, & libere loqui possis. Sacris deinde literis, & rei diuinæ uacare expediet: postea equitare, & modicè

exerceri,

exerceri, ut quod reliquũ fuerit ex prandio, cõmodius à uentriculo deijcias. Atqui pleruncꝗ usu uenire uidemus stomachi cruditates nec inedia, nec exercitatione discuti posse. Ob idcꝗ aluum uel suppressam esse, uel parum reddere. Quocirca deiectio uel ex clystere, uel medicamentis leuioribus cotidie, uel alterna quacꝗ die petenda est: præsertim si ex ea caligines, capitis dolores, aliacꝗ mala, quæ superiores partes grauant, increscũt. Quare cibis primò, utpote maluis, atriplice, mercuriali, brassicæ crudæ, id est, quæ parum cocta sit, cremore, & id genus, quæ hoc præstant, utendũ. Quòd si parum illa profecerint, syrupum qui ex multiplici infusione uiolarũ cõficitur, sumito: cui tamẽ uel radix Pontica, quam reubarbarũ uocant, uel ueratrum adijciatur. Nam syrupũ huiusmodi (nominibus planè usitatis, & maximè notis, perspicuitatis præcipuè gratia in præsentia uti libet) ualetudini præsidio admodũ singulari fore opinor: si tamẽ eum hac ratione cõfectũ habueris: Veratri nigri unciã, & radicis Ponticæ denarios duos, quæ lino rarissimo deligata in libras decẽ fluuiatilis, uel fontanæ aquę conijciantur. In qua dum ferbuerit, uiolæ recẽtes, quantum satis fuerit quinquies infundãtur, toties linum etiam ipsum, ut simpliciũ medicinarũ uis, quæ in eo deligata est, cõmodius in aquã transpiret,

fortiter

fortiter exprimatur: colata deinde aqua, & expressa, ex saccaro quantũ satis sit cogatur. Sed quoniam nunc tẽpestas nõ est, ut recẽtes uiolæ in promptu sint, in syrupi præfati libra, quẽ seplasiarij paratũ habẽt, hellebori nigri, & radicis Ponticæ utriusq; drachmã in lino ligatę infundito. Hęc parũ feruefacta, & expressa cum lino ipso ad usum cõseruetur. Aluo igitur astricta, uel dum uẽtriculi cruditas uigebit, quoties uolueris, hac antidoto deiectiones moliri conueniet: quæ cõstat ex syrupi uiolati eo modo parati uncijs tribus, & cremoris senę uncijs duabus. Verùm si aluus ex hac syrupi quantitate citatior efficeretur, ab ea syrupi unciã demito. Eius prętereá loco, per interualla, pulueris etiã hieræ simplicis Galeni sesquidrachmã ex iure pulli uti poteris. Hãc quãdoquidẽ amarissima est, pane quo sacerdotes nostri in sacrificio utũtur, obducito & deuorato. Nec obscuri nominis adest etiã casiæ, quam fistulam uocãt, usus. Eius siquidẽ medulla cũ saccaro & glycyriza parũ ante cibũ aliquando utilis aderit. Ad hæc præstant etiã catapotia, quæ mastichina appellant, à cœna deuorata. His medicamẽtis hyeme & æstate, modò uno, modò altero, quoties aluus dura extiterit, pro arbitrio utendũ. Atqui ineunte uere, dum sol primũ Arietis decanum præterierit, purgationẽ eam, quã autũni initio descripsi,

deſcripſi, iterandã ſtatuo, & à ſanguinis miſſio-
ne auſpicandũ; de quo uncię tres, uel certè qua-
tuor tantũ erunt mittẽdæ. At de ſyrupis prio-
ribus, nec tot numero ſumere opus eſt. Quip-
pe cùm meliuſcule ualere deberes, tãto harum
potionum uſu indigere nõ debes. Purgationes
nanq;, ut interdũ neceſſariæ ſunt, ſic ubi frequẽ
tes ſunt, q̃ pro uſu cõueniat, periculũ adferũt:
corpus enim reddunt imbecille. Atqui nihil o-
mnibus morbis magis obnoxium eſſe uidetur
infirmitate. Quãdoquidẽ ipſa potione, quanq̃
tutiſsima ſit, nõ niſi tamẽ pro uiriũ & ratione,
& opportunitate uti debes. Vtiliſsimum præ-
terea fuerit à ſyrupis, iecoris excedenti calori
ſubuenire: Nam aduẽtantibus caloribus, peri-
culum eſſet ne inflãmaretur; quod ad bilis atræ
auctionem maxime faceret: Ideo lactis caprini
ſerũ, ubi in eius uncijs octo ſena, & radix pon-
tica, & fumariæ herbæ flores recentes per no-
ctem primò maduerint, ex ſaccaro ſalubre cen
ſetur. Deinde roſam ſaccaro cõdîtam manè an-
te cibũ per tres ad minus horas, altero & ſexto
die ſumito. Hæc plenitudini, & excremẽtorum
redundantiæ, necnon & uentriculi, & iecoris
languoribus mirè opitulabuntur. Verùm ſi ex
inedia, qua religionis gratia ad corporis graci-
litatem, & macerationem plerunq; uteris, ſicca
admodum tẽperies exorietur; quod quidẽ affe
ctionibus

ctionibus tuis maxime aduersaretur, iurulētæ sorbitiones, & ptissana hordeacea conducet.

Faciunt etiam ad hoc, lęto animo esse, curas, & urbana fastidia leuare, nec mēte asiduè cruciari. Quibus rebus, si tibi nonnunquam plus iusto aut uelis, aut nolis, solicitari acciderit, erūt medendo literarū sacrarū studia, & Christi seruatoris nostri cruciatus, quos pro nobis passus est, iugiter meditari. Quod planè ad nostras animi, & corporis affectiones præstantissimum, & unicum esse remedium facilè contenderem.

Somnus qui ad ualetudinem tuam maximè præstat, nocte horarū octo esto, & super latus dextrū primò, mox sinistrū: At pronū iacêre, stomachi cōcoctionibus cōfert. Et æstate meridionari, pręsertim quādo nox insomnis esset. De quibus, cum in libello, quem iam typis excudēdum tradidi, fusissimè disseruerim, in præsentia, reliqua, quæ in his scriptis deesse uidentur, consultò prætereo. In illo siquidem omnia quæ ad prophylacticam rationē pertinent, copiosissimè scripsi. Quamobrem cum eum, in librorum tuorū numerato, pro tua saltem in me humanitate, & beneuolentia (propediem certè ut opinor) habueris, nihil esse persuasum habeo, quod à Calanio tuo in tua pręseruāda ualetudine, amplius posis desyderare.

Verum si ex his, te ad corporis illā integritatem

tatem non rediisse cognosces (quod equidẽ minimè uellẽ) ad medicatas aquas cõfugere oportebit. Inter quas, cũ Romę degis, Viterbienses, utpote proximiores eligẽdas statuo: easq́ue quæ uulgò Pontificiæ appellantur. Mense igitur Maio, præmissis purgationibus, sicut prędiximus, Viterbum cõtendito (maior enim earum aquarũ salubritas in loco, ubi scatent, esse censetur) Vbi eas assistentis alicuius medici cõsilio, per octo, uel minimè decẽ dies potaueris, ad eas quæ in agro Vrbis ueteris, ficuncellas uulgari nomine appellãt, ob facultatẽ fortasse, quã in refrigerãdo iecinore præcipuã habẽt, adirẽ. In quibus pro loci cõsuetudine, per aliquot dies, totũ corpus frequẽter lauabis. Quod planè ad ualetudinẽ tuã recuperandã, præsentissimũ remedium fore opinor. Verumenimuero, cùm tecum, & apud te esse summopere cupiã, & ob ingrauescentẽ iam ætatẽ meã, ut dixi, absq́ue uitæ meę periculo ad te uenire nõ possum, te iterum, atq́ue iterũ hortor, ut primo quoq́ue tẽpore ad balinea Lucana contendas. Ibidem me, Deo opt. max. iubẽte reperies. Vbi & lauare, & potare, caputq́ue sub fontes illos calidos subiicere arbitratu nostro poterimus, & dulcissima illa nostra consuetudine frui. Vale mi Conrade, & me, ut facis, ama. Idibus Augusti, Bononiæ. M. D. XXXVII.



95